CHRESTOMATHIA PETRONIO-BURMANNIANA;

Sive

CORNU-COPIÆ OBSERVATIONUM

Eruditissimarum & ante plane Inauditarum, quas Vir illuminatissimus, rerum omnium, & multarum præterea aliarum, peritissimus

PETRUS BURMANNUS

Congessit in

PETRONIUM ARBITRUM,

Scriptorem Sanctissimum.

Accessit

SPECIMEN LATINITATIS NOVÆ, ROMANIS INCOGNITÆ,

è Notis

PETRI BURMANNI ad PETRONIUM.

FLORENTIÆ,

Sumtibus Societatis.

MDCCXXXIV.

ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ Γ′ Κεφ. β′.

Σὺ ἔγνως ὅσα ἐποίησέ μοι, κ. τ. λ. καὶ οὐ κατάξεις τὴν πολιὰν αὐτοῦ ἐν εἰρήνῃ εἰς ᾅδου.

CHRESTOMATHIA PETRONIO-BURMANNIANA.

QUum, præter Petrum illum Burmannum τὸν πάνυ, aquilam in nubibus, vindicem ac statorem Musarum fugientium unicum, & quosdam alios, quibus ille solis sapere & eruditis esse concessit, quod sub eo tyrocinium posuerunt atque aliorum famam lacerare didicerunt, hac tempestate in Hollandia concedatur nemini esse erudito, putavimus nos rem facturos omnium utilissimam, si bonas aliquot horas poneremus in excerpendo annotationes quasdam, passim a Coryphæo isto bonis auctoribus additas, ut ita ab ejus eruditione & alii, veluti candelam de candela, possent accendere, nec necesse sit omnibus esse asinis, stupidibus, stultis. Agite igitur, videamus primo quid in Petronianis istis adnotationibus Viri præclarissimi, aut si quid præclarissimo præclarius est, dignum scitu reperiatur; deinde forsan & alios auctores, ab eo editos, evolvemus.

Pag. 8. *In culina habitare* explicat Burmannus ita: „ Ego puto, hic Satyricum adolescentium
„ sui temporis perversa studia insectari, qui arti
„ coquinariæ tam insane operam dabant. Elegan-
„ ter autem dicit eos habitare in culina, quia

„ totos dies ibi terebant, & huic uni arti addiscendæ vacabant". Mirabitur sine dubio quisquis ætatem transegit in evolvendo scriptores veteres, quod nusquam legerit, adolescentes Romanos *didicisse unam artem coquinariam, & propterea totos dies in culina desedisse*; atque dicet ciborum delicatorum atque licentius confabulandi, & nepotandi causa in culinas convenisse. Verum nos miramur potius hominis stuporem, qui si diligentius scripta Burmanni evolvisset, ignorare certe id non potuisset.

Pag. 11. *Pudica oratio non est maculosa, nec turgida, sed naturali pulchritudine exsurgit.* Lege Burmanni auctoritate: *Pudica oratio non est musculosa.* Scilicet Pompejus apud Gruter. in Inscript. p. CCCXXXVII. dicitur *musculosus*.. Ergo Petronius orationem debuit vocare *musculosam*. Euge! Papæ! *Oratio casta* posthac dicenda est *non musculosa, nec turgida.* Apagite vero, qui hic aliud quid musculosum aut turgidum subodorare videmini, cujus tamen non infrequens mentio est apud nequitiarum Arbitrum, ejusque commentatorem musculosissimum.

imo Heinsii

Pag. 15. *Piscator sine spe prædæ moratur in scopulo.* Actum fuisset de omni eruditione, nisi Vir summus hic monuisset, *piscatores in scopulis fere insidias piscibus facere solitos*, quam rem provide & diligenter lectori ob oculos ponit elegantissime sculpto Cartejæ nummo; eaque observatio merito tanti est visa auctori, ut ad Ovid. Met. III, 592. lectorem ad eam remitteret. Cauti ergo

go eſtote; nec credite piſcatores cupidos prædæ in ſilvis aut dumetis hæſiſſe; hæſerunt enim ad mare & in ſcopulis, docente viro incomparabili.

Pag. 25. *Et fortuna ſonet celeri discincta meatu* Ita quidem vir ſingularis modeſtiæ edidit, quum tamen legendum cenſeat:

Et cortina ſonet celeri deſtricta meatu.

Et explicat: „ Faciat aliquando, tanquam in „ transcurſu, aliud agens, & ſe a forenſibus mo- „ leſtiis recreans, verſus. Et ita ſonet cortina „ deſtricta a prætervolante quaſi, non inſidente „ ei poëta ". Quis mortalium umquam vel ſu-ſpicari potuiſſet, præter unum Burmannum, ita locum eſſe legendum, atque ita explicandum? Quis è verbis *Et cortina ſonet* &c. unquam ejus-modi ſenſum elicuiſſet. Viſus eram pene mihi intelligere, quid vir maximus vellet, cum cœpi Valerium Flaccum, ad quem lectorem, qui plu-ra de cortina vult ſcire, remittit, inſpicere, ad cujus verba, Lib I. vſ. 6. Burmannus notas *Cor-tina Sibyllæ propria*, idque it demonſtratum aliis locis. Jam fateor, me adeo eſſe infelici ingenio, ut quid ſibi velit, aut plane non velit, *Et Corti-na ſonet* &c. non intelligam. Nec mirum; quum à Burmanno non ſit conceſſum huic homini ſa-pere, aut bonos auctores intelligere, quod ſibi vindicat ſoli & ſuis.

Pag ead. *Truci memorata canore.* Ad iſta no-tatum reperies: „ *Ovidius* pro truci canore *ſæpe*

„ magno ore sonare & canere *dixit* ". Recte sane. Ne quis igitur dixisse velit Burmannum, quando versus facit, *magno ore sonare*, sed potius phrasi idem significante *truci canore versus facere*. Id certe elegantius est, & optime viro optimo convenit. *Trux vultus* ab Ovidio quoque eadem significatione dicitur, & eidem viro convenit.

Pag. 28. Vir egregius vehementissime invehitur in extemporaneos istos, quos vocant, aut declamatores, aut poëtas. Maxime autem animadvertendum est, quod ea occasione lectorem docet, scilicet *Martialem*, *Statium*, & *reliquos minorum gentium poëtas esse*. Ante nominaverat Catullum & Horatium, neminem alium ex omni poëtarum choro. Ut igitur jam intelligas Martialem & Statium minorum gentium poetas esse, debes viiro huic erudito; qui tamen quos intelligat per & *reliquos* solis initiatis forsitan est notum. Ex hac observatione si quis inferat, quoties Burmannnus Martialis aut Statii testimonio utitur, eum *minorum gentium* poetarum verbis, relictis aliis, opinionem suam fulcire, næ is longe abest à literarum interiorum cognitione. Scilicet, quando ille adhibere dignatur *minorum gentium* poëtarum verba, tunc eadem ista verba eandem vim adquirunt ac si essent prolata à *majorum gentium* poetis, eo ipso quod adhibentur. Nam vir summus est optimus talium judex, & nunquam ista protulisset, nisi scivisset sua auctoritate auctoritatibus istorum poetarum auctoritatem

tem conciliari. Vos vero, nisi & illud sit inter *ἀπόῤῥητα*, qui ei estis a manu & consiliis, quaeso facite nos miselli & ad aeternas tenebras damnati homunciones sciamus quinam sint isti & *reliqui*, ut eos in tempore caveamus. Porro ibidem prudenter hortatur vir maximus discere paratos, ne in scribendo nimium festinent, ut ipse solet, & jam dudum solitus fuit nihil in publicum protrudere, nisi quod rosos sapit ungues; quare ejus dictio nusquam non castigatissima est, ut infra diligentius ostendemus in Specimine Latinitatis novae.

Pag. 36. ad verba: *Jam pro cella meretrix assem exegerat*, vir laudatissimus ostendit, quam versatus sit non solum in re antiquaria, in re critica, sed etiam, quod & omnes norunt, in re meretricia. Licet enim Petronius conceptis verbis dicat *pro cella meretrix assem exegerat*, aliter tamen explicat Burmannus: „ Haec ", inquit, (nempe merces, aut *as*, quo videtur *haec* respicere contra regulas Grammaticorum, quas vir magnus, qua est auctoritate, interdum non curat) „ non tam vulgarium prostibulorum merces fuit, quam Lenarum, quae pro cella illam exigebant ". Crede, lector, & audacter crede; nam artifici in arte sua credendum est. Prostibula vulgaria Romae merebant plus aeris; nec cum Cicero de *quadrante* aut Juvenalis simpliciter de *aere* mentionem faciat, id capiendum est de aere aut asse proprie dicto, sed de argenteo aut adeo aureo nummo, quod hic ab eximio &

istarum rerum callentissimo doctore docemur.

Ibid. *Injicere manum.* Recte explicatur de rei vindicatione, & solenni ex jure locutione. Si quis adolescens enim *meretriculæ manum injiciat*, ille, secundum hanc observationem, *rem suam vindicat.* Contrarium est *abstinere manum*; nam puella dicens *abstine manum*, vult dicere: *Ne rem tuam tibi vindica.*

Pag. 41. *Scire literas*, capiendum esse de primis scribendi elementis præclare docet vir egregius. Quare desinant viri eruditi disputare, quid apud Tacitum de Germanis loquentem significet *Secreta literarum ignorare*, & quid apud Cæsarem velint *tabulæ literis Græcis* in castris Helvetiorum repertæ. Nec Dionysius Corinthi literas professus, aliud pueros quam scribere docuit. Quid? Nihil ultra noverat, quum reges jam isto tempore professores, solos scilicet eruditos, audire non soliti fuere. Præterea in eadem observatione docemur homines ex magna fortuna delapsos *sæpe* ludimagistros esse factos. Utinam vir præclarissimus saltem aliquot exempla adduxisset, ut & nos si qui id sæpe factum esse præfractè negare vellent, haberemus quæ negantibus possemus opponere, si urguerent id minime *sæpe* factum esse. Novimus quidem & confidimus professorem vera scripsisse, sed illos tamen redarguere non possumus, quia ille non addidit exempla; nisi quod illa omisit, ne pædagogi, quorum fastus ferri diutius non potest, & quos odio plusquam Theologico persequitur, ista discerent,

atque

atque in posterum gloriarentur reges *sæpe* pædagogos, nunquam professores fuisse factos. At, quæso, ne talia cogitent? nam Dionysius ultra *prima elementa*, ut veteres amant loqui, nihil pueros docuit, ut nec ipsi pueros vix quidquam amplius docere possint *suspensos lævo loculos tabulamque lacerto*.

Pag. 43. „ Ludere (inquit vir magnus) apta „ nequitiæ & impudicæ contrectationis est vox"; idque firmat locis multis eo facientibus; nam in eo genere præsertim regnat. Egregie eo facit locus Senecæ Rhetoris, qui etiam e penu divite hic sistitur, de maritorum abstinentia, *qui etsi virginibus timidis remisere noctem, vicinis tamen locis ludunt*. Quid per *loca vicina* magnus doctor intelligi velit, non indicat. Suspicor tamen aliquid, quod ad viciniam locorum attinet, nec audeo dicere, quia nescio, an placiturus sim viro unice docto, quem inimicum habere mihi nec ego volo, nec sapiens quisquam, bene gnari quantum lingua valeat, quantum calamo.

Pag. 51. *Explicuimus mercem*. Ad istas voces adnotat heros in ista palæstra exercitatissimus: „ Explicare aptum verbum de meretricibus, „ quæ evolvuntur, cum venum exponuntur ". Enotavi hæc, ut me diligentiores indagarent, quid significet *meretrix evoluta, cum venum est exposita*. Equidem non intelligo, etiamsi diligenter quæsivi. *An loca vicina evolvuntur?* id non dicit adnotationis auctor, & in re tam intricata temerarium esset conjecturæ indulgere.

mercibus habetur

 Si-

Sine dubio in Adversariis habet vir magnus *evolvere meretricem venalem* & *meretrix evoluta.* Vos, quibus licet esse tam felicibus, ut oraculum illud præsens aut per literas consulere possitis, quæso vos consulite hominem; vobis sine dubio dicet, vosque ita optime de rep. literaria estis merituri.

v. C. XLVI. Ovid. I Am. 13. 21. Senec. Apo. loc. Gronov. Senec. III. De Ira c. 37.

Pag. 53. *De nocturnis advocatis.* „ Hoc loco „ discimus togatos illos vultures in foro obambu„ lasse, ut prædæ alicui semper inhiarent. & „ inter mercantes rixas & discordias sererent, „ unde lucrum facerent. Terent. Eun. IV, 6. *Transcurro ad forum, volo ego adesse hic advo„ catos nobis in turba hac* ". Quam multa discamus in una ista parvaque adnotatione vix potest dici. Togati vultures fuerunt jurisconsulti, qui Romæ de jure respondebant istis temporibus, & qui etiam causas agebant. Mercatores conveniebant in forum, tanquam in byrsam. Ante crediti sunt eodem in foro vulgo non versati fuisse mercatores & jurisconsulti; quum hi in foro Romano, ubi jus dicebatur, illi in foro rerum promercalium plerumque versati fuerint. Namque eruditi putabant ante mercatores Romanos longe aliter esse considerandos atque nunc in Anglia aut Hollandia fit, quod Romani ditiores fere mercaturum non facerent. At o seros studiorum, discite a Burmanno sapere. Deinde, quod advocatos in palliata tabula accipitis pro amicis, qui amicos juvabant sive dicendo testimonio, sive suggerendo argumenta amicis apud judicem cau-

sas

ſas agentibus, id etiam non ita eſt. Audacter adſcribite exemplaribus veſtris Terentii *advocatos* ibi eſſe *vulturios togatos*. Quare? Ipſe dixit.

Pag. 64. „ Superbus comparatur cum Gladia„ tore, qui cum poſſet proſtratum jugulare, ta„ men ut indigno iræ ſuæ parcit". Huc usque creditum eſt, quod ex lege certaminis gladiatorii, victor cum adverſarium proſtraviſſet, debebat circumſpicere populum, qui ſublatis pollicibus ſignificabat homini eſſe parcendum, aut pollicibus preſſis illum occidendum, verum temere; nam licebat Gladiatori, cum poſſet victum jugulare, incolumem dimittere, tanquam indignum iræ ſuæ. Docti, ſemidocti, & quarta parte docti Minerval debent magno doctori, qui perſona ſua non indignum putavit eos adeo inaudita docere.

Pag. 67. *Celerius confice.* Ubique quidem erudite commentatur Burmannus, nusquam tamen magis quam ubi lucutiones, phraſes, voces è palæſtra Veneris deſumtas explicat. Tum regnat; tum vere poſſis dicere coryphæum. Cum autem ea ſit non poſtrema eruditionis in viro ſummo pars, nos lectores noſtros minime interioris iſtius literaturæ judiciis fraudabimus. Primum locum hic quidem obtinebit verbum *conficere*, quod conſummatiſſimus doctor docet, loco indicato ex arena translatum ad Veneris palæſtram, unde confectores feratum. Ib. *Jacere* adhiberi ad languorem illum Venereum ſignificandum, docemur ex Ovidio:

Noſtra

Nostra tamen jacuere, velut præmortua, membra.

Ib. *Inguina frigida* non minus languentium esse docemur exemplis, unde *frigidus in Venerem* & *non frigida virgo*, cujusmodi puella aliquando dicta fuit *non fatui puella cunni*, convenienter appellatæ leguntur. Pag. 73. disces, *Jungere capita* esse locutionem de Venerea consuetudine usurpatam. Pag. 79. *Molere* quoque esse inter vocabula Venerea docemur e Fragmentis Lucilii sumto, atque longe appositissimo:

lumbis
Hunc molere, illam autem frumentum vannere;

ubi tamen magis probatur *cunnis*, quod Junius & Dousa ediderunt, quam lumbis. Aliud schema Venereum exhibet vix experientiæ infinitæ pag. 81. ubi docet „ multas obscœnas dictiones „ ab equis mutuatos veteres ", ex Horatii loco:

Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum.

Neque aliter capienda adfirmat illa Ovidii:

Parva vehatur equo, quod erat longissima numquam
Thebais Hectoreo nupta resedit equo.

Elegantiis his Latini ſermonis adde quæ habet vir ſummus pag. 85. de derivatione *mentulæ*, non ſcilicet a ὑποκοριστικῷ *mentis*, ſed *menta*, ut ſit *menta puſilla*. Potuiſſet, ſi quis dubitaret, an Burmannus prætextarum vocum ſignificationes calleret, addi verſiculus ex Horto Bembi de herba, quæ una allicit manus puellares; & ipſa Venere ridente natum carmen Toſcani, quod, quia parem utilitatem ad emendationem morum præſtat, adſcribere minime gravamur.

Qualis flos violæ, ſeu purpurei hyacinthi
Demittit preſſas rore vel imbre comas;
Moxque idem radiis ſolis tepefactus amici
Attollit multo lætus honore caput:
Talis cum nimia pluvia perfuſa jaceret,
Quæ viret in pratis MENTA PUSILLA *meis,*
Protinus ut Dominæ eſt dextra tepefacta calenti;
Suſtulit e nivea caudice læta caput,
Et, quanta eſt, ſeſe erexit, ſolitasque reſumpſit
Vires, delicias explicuitque ſuas.
Senſit & , heus, inquit ridens Domina, haud mihi poſthac
Languida, quum tantum hæc dextera poſſit, eris.

Satis jam diu Latiniſſimi hominis obſervationibus adhæſimus. Poſtea plura adnotandi occaſionem non negligemus. Nunc revertamur de diverticulo in viam.

Pag.

Pag. 71. *Quamplures* Petronius *palæstricas* dixit, & Burmannus ex abundanti cordis eruditione horribile secretum ea occasione detexit, scilicet *quamplures* idem esse quod *complures*, quod ex Hygino luce meridiana clarius demonstravit. Illud, quæso, arcanum ne communicetur, nisi cum initiatis!

Pag. 72. *Labra humerosque scopionibus pinxit:* Ante legebatur *titionibus*, indocti hominis, pædagogi forte, commentum, qui istam vocem quoque Catullo invexerat, quod putaret eam optime petulantiæ Quartillæ illudentis Ascylto convenire; & audiverat quoque legi apud Varronem, Celsum, & alios. Quid? commentum illud adeo blandiebatur quibusdam eruditis, ut vel in textum Petronii receptum pene pro genuino & recto habitum fuerit. Tandem autem vir excellentissimus accessit, docens inepte dici, homines dormientes *titionibus*, lignorum scilicet semiustorum carbonibus, faciem pictos fuisse, quum id solum fuerint facere *scopionibus*, ea nempe parte botryonis, cui ipsæ uvæ adhærent. *Titionibus* enim si qui picti fuissent, eorum facies adeo nigra fuisset visa, ac si fuligine fuisset oblita, a qua nigredine nullum periculum erat, si *scopionibus* alicujus inficeretur facies. Præterea pro certo est tenendum, veteres nunquam fuisse solitos pingere alicujus faciem scopionibus, nisi tempore autumnali, quoniam per alias anni tempestates non habebant scopiones; nec titionibus, quos per totum annum habebant, uti licebat,

quod

quod sequitur ex emendatione criticorum summi.

Pag. 76. *Tricliniarches lucernis occidentibus oleum infuderat.* Verba ista explicans excellentissimus commentator, iter alia ita habet: „ De „ superstitiosa autem cura ne extinguerentur lu- „ cernæ, capienda illa Ovidii, Epist. XIX, 151.

„ *Ecce merum nutrix, faustos instillat in ignes* ".

Arrigite aures, pædagogi, ne Burmannus dicat forte vos nihil posse arrigere. An locum Ovidii prolatum intelligere unquam licuisset vobis, nisi magnus heros merum in ignes instillavisset. Capiendus est locus de superstitiosa cura, ne extinguerentur lucernæ. Id mementote. Scio vos putavisse antequam ego hoc vobis indicarem, Ovidii locum pertinere ad omina. Lucerna Herus sternuit (dicitis) & visa est ita dedisse prospera signa, quæ Leandri adventum portendebant; propterea nutrix paululum vini adspergit flammæ, ut flamma sæpius sternueret, & ita omina prospera aliquoties repeteret vino adsperso, ut solet, e veterum superstitione de sternutationibus. At, ô boni, pœniteat vos fœdissimi erroris. Verba ista sunt capienda de superstitiosa cura, ne extinguerentur lucernæ. An non satis est, quod ab homine uno post homines natos id docemini? Vinum dicitis aptius lucernæ extinguendæ quam lumen conservando, quos vos oleo fieri melius contenditis, & ideo adhuc manus victas dare recusatis. Capite igitur *merum* in loco Ovidii pro

oleo,

oleo, ut plane in eo videatis, quod eximius interpres vidit.

Pag. 82. *Mox manum demisit in sinum.* Ad verba ista hæc habet castissimus sacerdos Musarum: „ Hinc apparet sinum usque ad pudenda „ fuisse demissum, quæ tegebat. Locis a de „ Salas adductis adde Juvenalem IX. Sat. 32.

„ *Fatum est in partibus illis,*
„ *Quas sinus abscondit;*

„ ubi Scholiastes *penem* intelligit ". Locus Juvenalis certissime huc pertinet; nam Ferrarius in Analect. De Re Vest. C. XLII. eundem locum ad hunc Petronii locum illustrandum protulit; & sic videtur Burmanni ante ipsum Burmannum dixisse. Pereant utique male qui nostra ante nos dixere! In omnibus tamen Ferrario non convenit cum Burmanno; namque ille docet sinum semper in pectore fuisse, verum cum vestis interior corpus non valde stringeret, manum facile potuisse demitti in sinum, plane ut si quis nunc indusio solo esset indutus, haud difficile foret per aperturam, quæ in pectore est, manum demittere. Burmannus autem contra docet „ sinum usque ad pudenda fuisse demissum ". Idque verum est. *Penem* porro quod cum Scholiaste intelligit, recte facit, & in re designanda nulla circuitione utitur; qua quid opus esset apud Criticum magis eruditionis quam continentiæ aut probitatis laudem adfectantem?

Pag.

Pag. 93. Erudite adnotat vir ſummus, horologium fuiſſe in foro Romano, ſive ſolarium qualia tunc, nondum repertis horologiis, quæ rotulis moventur, in uſu erant. Neceſſe fuit, ut in aëre aperto haberentur, quoniam umbra ſolis inbicabat horas. Multa igitur admiratione dignum eſt, quod docemur hoc loco Trimalcionem in triclinio privatim horologium ſciatericum habuiſſe. Utinam præſtantiſſimus commentatorum addidiſſet, qua ratione radii ſolis id per triclinii feneſtras ferirent; nam illud ita diſpoſitum fuit, ut toto die radii ſolis in privatum id Trimalcionis horologium inciderent. Quod ſi argutulus quis dicat clepſydram fuiſſe, illi opponimus Burmanni eruditionem, non de clepſydra, ſed de horologio; quale in foro fuit explicantis.

Pag. 109. *Pro Lænatis gladiatorium munus.* Schefferus legit: *læva bis gladiatorium munus.* At non tulit impune. Nam id ſi voluiſſet Petronius, ſaltem dixiſſet ſe ad lævam vel a læva vidiſſe *duo gladiatoria picta*, ut prudenter dicit Burmannus; unde diſcimus non rectius dici *munus gladiatorium*, quam ſimpliciter *gladiatorium* ſubſtantive poſitum, Dicite igitur audacter *Ædilis edidit duo gladiatoria*; *hoc accidit populo gladiatorium-ſpectante*, &c. habetis enim, quem ſequamini, auctorem gravem, nec de minorum gentium eruditis.

Pag. 121. *Me acido cantico excepit.* Sagaciſſimus Burmannus, qui omnia novit, loco iſto præ-

cipit legendum *acido ac cantico*, & explicat, *acidum esse potum, qui acretudine sua stomachum excitat.* Cave te autem, ne dum vir excellentissimus te docet, qui sit *potus acidus*, fallamini a medicorum filiis dicentibus acido inesse vim congelandi, figendi, incrassandi, obstruendi, fermentationem cohibendi, & ita frigus totius corporis, pallorem & infirmitatem efficiendi. Plane contrarium enim patet ex observatione hominis falli nescii, quæ dicit *acidum* non habere vim *fermentationem cohibendi*, sed *excitandi stomachum.* Cavete etiam a commentatoribus insulsis *acidum canticum* explicantibus per salsum, elegans, liberum. Illi acetum acre in pectore non habent. *Acidum* ergo distinguendum a cantico, & ex mente viri præclari sumendum pro sorbitione ante prandium, qua appetitus excitatur; etiamsi id felicius potiuncula amara persici posse homines vani statuant. Quid vero est similius quam acido stomachum excitari, quum auctores graves scriptis prodiderint, Annibalem vel Alpes aceto perrupisse? Jure quoque a Burmanno culpantur Judæi, qui Pentecostes die calumniabantur Christianos, tanquam γλεύκους μεμεστωμένους, *dulci vino impletos*, quum calumniatores male feriati saltem debuissent dicere *acido.* Venite igitur, ô Judæi, qui Christianos vultis calumniari, ut ad pedes Burmanni doceamini!

Pag. 129. *Cum tabula terebinthina & crystallinis tesseris.* Etiamsi Petronius dicat *tabulam*

lu-

luforiam, quam alias alveum luforium aut forum vocant, fuiſſe *terebinthinam*, fidem illi non habebitis, ſi ſapere vultis. „ Non vero ", inquit Commentator, „ credendum totam ex terebin-
„ tho fuiſſe tabulam, ſed tabulis terebinthinis
„ aliam materiam tectam, ut adhuc moris eſt
„ inducere tabulas luſorias, & veſtire ligno nu-
„ ceo, vel alio". Pædagogi ac vulgus doctorum habebunt forte Petronio fidem, eruditiores Burmanno.

Pag. ead. in Commentario legetis: „ Non
„ credendum eſt eo tempore textores Romæ,
„ aut in Italia, tam frequentes fuiſſe, ut eorum
„ dicta celebrarentur, ſi *tonſorum* dicta, qui lo-
„ quacitate ſua erant celebres, Petronius ſcri-
„ pſiſſet, facilius reciperem; ſed non video, quare
„ textores præ cæteris artificibus ex vili plebe
„ hic eſſent nominandi ". Denuo hic docemur res duas, quæ nemini mortalium, præterquam uni Burmanno, quæ viri ſingularis eruditio eſt, unquam in mentem venire potuere, & quæ ideo acriter contra vulgus doctorum ſunt defendenda, ſcilicet plerique, quibus non contigit prodire è ſchola iſtius viri, nunquam ſine inſigni præconio nominandi, dicunt *tonſores loquacitate ſua celebres non fuiſſe*, verum notiſſimum illud proverbium, quo lippis & tonſoribus aliquid notum eſſe, quod vulgo notum eſt, dicitur, contendunt ex eo ortum, quod homines multi ex quibusvis urbis partibus in unam tonſtrinam convenientes, ibi deſident & inter ſe fabulantur, do-

nec tonsori vaçat cuique barbam abradere. Quidquid illi autem narrant, id ajunt notum fieri ipsi quoque tonsori, atque adeo tonsoribus notum dici præsertim id, quod eo tempore maxime in ore est vulgo, ut fit in urbibus magnis, ubi semper fabulam aliquam rei recens factæ homines otiosi sibi invicem narrant. Alterum, quod hoc loco docemur, pertinet ad *textores*, quos raros tum in Italia, & præ ceteris artificibus ex vili plebe recte docet Commentator. Semidocti autem illi, qui ringentibus Musis illarum sacra tractant, nullos fuisse textores vetustis temporibus inquiunt, quum mulieres texuerint & neverint; quare ajunt Grævium, qui si reviviscceret, nihil magis gauderet, quam dilectissimum discipulum, sibi modestia & mansuetudine adeo similem a se relictum, locum Ciceronis in Oratione pro Cn. Plancio vocem *textore* mutavisse in *tectore*. Quod autem, addunt, Bnrmannus dicat, *textores præ çeteris ex vili plebe artifices esse*, id criminantur eum ideo dicere, quod Trajecti aut Lugduni tales plerumque viderit, & solitus sit veteris ævi conditionem non raro ad sui temporis consuetudines & mores refingere. ô Lepida capita, si cerebrum haberent! Veniant potius huc & discant, quæ sine summo dedecore ignorare illis non licet!

Pag. 136. *Vinum dedêre in manus.* Ad istum locum Burmannus vult eam Trimalchionis fuisse lautitiam, ut convivæ manus non obluerint aqua, sed vino. Recte sane; nam vinum ad eam rem

multo

multo est purius & aptius, & præterea odor vini præstat manibus odorem, gratum, quem frustra ab aqua exspectes. Quoties igitur, vos pædagogi, vestros pueros, quos sub ferula tenetis, flentes, & recusantes verbera pati, docetis phrasin *dare aliquid in manus* significare solum tradere de manu in manum, perperam docetis; nam voces istæ significant, dare aliquid ad manus abluendas.

Pag. 137. *Jussit senex suam cuique mensam adsignari.* Homines non tincti eruditione Burmanniana putabunt hæc ita esse intelligenda, scilicet senem jussisse ut servi singulis convivis adsignarent, quo lecto, & quo lecti loco quisque accumberet; in summo quippe lecto, medio aut imo, locumne summum, medium, an imum occuparet quisque ex more tricliniorum, quo tribus mensis adpositi erant tres lecti accubitorii; verum pudeat illos, siquidem non perfricuere frontem, erroris tam crassi. „ Capite isto loco „ mensas pro lancibus, vel ferculis, vel simili „ aliquo instrumento, in quod unusquisque „ conviva accipiebat partes suas æquales ". Sic enim *mensam* capiendam docuit vir egregius; idque gavissimis rationibus motus. Patet enim, quod Romani tempore Neronis, quo Petronius vixit, adfectaverunt mores peregrinos. Quid autem magis est peregrinum quam convivari more Sinarum aut Japonensium, apud quos notum est cuique convivæ parvam mensam adponi, in qua vescatur sedens in terra. Majus quid latere

 vi-

videri possit, quia singulos convivas æquales partes accepisse docet Burmannus, scilicet *mensam* esse participium vocis *metior*, atque significare id, quod servi cuique convivæ admetiebantur, nisi obstaret provida viri cura, adferentis scriptorum aliorum loca, quæ ita minime capi possunt.

Pag. 146. Ita habet Burmannus: „ *Africanas*, „ ubi simpliciter ponuntur, semper leones notare, non crediderim, cum eo nomine tigres „ & pantheras etiam notari certum sit. Ita Plinius lib. VIII. c. 17. dicit, *Senatusconsultum* „ *fuisse vetus, ne liceret Africanas in Italiam* „ *advehere* ". Ubicunque igitur *Africanæ* nullo nomine substantivo addito nominantur, dicas tigrides & pantheras significari. Et ne quis dubitet, en verba Plinii, toto capite agentis de pantheris: *Quidam ab iis* (pardis scil.) *pantheras candore solo discernunt: nec adhuc aliam differentiam inveni. Senatusconsultum vetus fuit, ne liceret Africanas in Italiam advehere.* Clarissime ex istis verbis patet, ubi de pantheris sermo est, atque ubi illæ tum *Africanæ* vocantur, semper capiendum de pantheris Africanis. Præterea autem docuit ex iisdem Plinii verbis Burmannus, *Africanæ, ubi simpliciter ponuntur*, sine alio scilicet substantivo, designari pantheras & tigrides.

Pag. 147. *Super Scorpionem, pisciculum marinum.* Scilicet repositorium magnum mensæ Trimalchionis illatum, in orbe disposita habebat duodecim signa, super quæ proprius cuique cibus erat impositus, *Scorpionis pisciculus marinus*,

Qua-

Qualis pisciculus iste fuerit nemo unquam præter unum Burmannum conjectura potuit adsequi. Ille putat esse animal parvum, Scorpionis effigie, aranei magnitudine, quod ab Aristotele οἶστρον, & a Latinis *asilum* vocatur; verum addit animalculum (alii insectum dicerent) esse duplex, terrestre & marinum, quod per silvas volat & jumenta infestat. Ex ista explicatione miram Burmanni sagacitatem discite, pædagogi & minorum gentium eruditi. Nihil aliud Petronius dicit quam *pisciculum* Scorpionis signo impositum, siquidem ita sit legendum, nam alii *isicium*, e piscium carne scilicet factum, legunt: nihilo tamen acutus Burmanni oculus vidit *animalculum duplex terrestre & marinum esse, quod per silvas volat & jumenta infestat.* Nonnemo contendebat aliquando mecum legendum esse *pisciculum cammarinum*; at cum ego homini explicationem Burmannianam prælegissem, mutus illico.

Pag. 154. Obsonium ita ad symphoniam laceratum narrat Petronius, *ut putares essedarium hydraule cantante pugnare.* Ad quæ verba vir nostro præconio major multa præclara docet de organis hydraulicis, quæ sane auro contra non cara censebuntur amico meo Græcum Heronis Alexandri textum cum emendata versione Frederici Commandini Urbinatis edituro. Ecce vobis e multis pauca: „ Intelligit tibicinem, qui fistula, „ cujus canales aqua implebantur, canebat, & „ essedarium quasi classico incendebat. Nos hic „ Ultrajectinæ amœnitatis conscii & participes,

„ ſcimus, quam adhuc per hydraulica hæc in-
„ ſtrumenta, lucro ſordidiſſimo inhiantes homi-
„ nes, luſcinias decipere & capere callide nove-
„ rint, & quam facile ad ſonitum organi talis a-
„ quarii minime vafræ aves poſſunt in fraudem
„ illici. Quare & edictis publicis ſecuritati avicu-
„ læ ad dulcedinem & delicias humanas natae in
„ hac civitate diligenter cautum eſt". *Fiſtulæ canales aqua implebantur*, quam eleganter & erudite dictum eſt! *Canales* non intellige, quibus aqua pluvia in ciſternas delabitur, nec etiam quibus ſordes domeſticæ egeruntur, ſed quas poëta quidam *cicutas* vocat, quum de fiſtula paſtoritia canit: *Eſt mihi disparibus ſeptem compacta cicutis Fiſtula*, &c. Prudenter igitur faciet quisquis poſthac arundines, ſiue cannas paluſtres, quibus veteres fiſtulas componebant, *canales* vocaverit. Deinde eximium eſt, atque ex interioribus eruditionis theſauris depromtum, quod hoc loco docemur de nefario ſcelere hominum ſordidiſſimorum luſciniis inſidiantium, atque ad eam rem adhibentium fiſtulas, quarum *canales* aqua ſunt impletæ. Euge! Nihil eſt, quod vel ipſa invidia hic carpat, quum res per totam Hollandiam adeo ſit nota, ut vel pueri trini vel quadrini per plateas incedant, aut ante ædes ſedeant, inflantes vaſcula minuta figulina, figuram aviculæ (luſciniam vocant, quod bene notandum eſt) exhibentia, quæ ſemire pleta aqua, atque inflata, ſonitum edunt aqua ebulliente non ingratum, quem pueri dicunt luſciniæ cantum. Exhibuiſſem,

Le-

Lector, hoc loco ipsum illud vasculum aviculæ forma effictum, nisi manum potius abstinendum postea censuissem, quod desperarem reperiri posse artificem, qui pari elegantia & arte exhiberet aviculam figulinam, ac nummi isti organis, *quæ hodiernis non dissimilia sunt*, insignes exhibentur in Commentario Burmanniano. Quid, quod eo tempore organa ista majora videantur jam nota fuisse, quæ non quidem in ipsam arenam illatæ, sed alibi ad latus positæ essedarium excitare cantu ad pugnam potuere. Docere id volunt eruditi ex Anthologiæ pag. 171. ubi exhibetur Juliani epigramma de organo, quod non inflatur spiritu oris, sed follibus; & ex Augustini Enarrat. in Psalmum LVII. pag. 563. edit. Basil. *Organum, quod grande est, & inflatur follibus.* Quibus in locis noviter inventi organi majoris non fit mentio, sed tanquam instrumenti Musici dudum noti, & ad quod forte Nero diei partem trivit. At illi frustra sunt docente Commentatore, qui nihil illorum ignorat.

Pag. 156. *In cœlum abiit.* „ Locutio illa frequentissima," inquit Burmannus, „ Latinis „ scriptoribus, *in cœlum abiit*, nihil aliud notat „ quam summam felicitatem". Confiteamini ibi oportet, quicunque hæc legitis, vos parum versatos in lectione veterum, quum sustineatis negare locutionem illam *in cœlum abire* esse *frequentissimam Latinis scriptoribus*, quumque dicatis, *esse in cœlo* raro occurrere, *abire in cœlum* ea significatione nusquam legi, nisi uno hoc loco.

Locutio illa frequentissima est, & propterea Burmannus locum nullum, ut solet fieri in locutionibus satis notis, addidit. Similiter sequenti pagina docemini, *eruditos* vocem *tapanta* reddidisse per *fac totum*; at qui sint isti eruditi non additur, quoniam res satis nota est, & quanto quis eruditior est, tanto facilius videbit τὰ πάντα Latine exprimi non posse nisi per *fac totum*.

Pag. 158. „ Inter Athenienses *Eupatrides* vo„ cabantur illi, qui αὐτόχθονες, & terræ filii cre„ di volebant, eodem innati folo". Primo considerate *terræ filios* non amplius per convicium dicendos homines ignobiles, aut vulgo conceptos, sed eodem innatos solo; quare cogitandum non est moleste laturum posthac hominem quemquam, si quis se *terræ filium* vocaverit, quo nomine inter Athenienses nobilissimos vocatos fuisse hoc loco discimus: non molestius certe quam iidem Athenienses fuissent id laturi, si quis eos γηγενέτας, aut γηγεναῖς, appellasset. Deinde observandum quoque est, quod *Eupatrides*, à singulari εὐπατρις, post hac masculino genere adhibendum sit, & non scribendum *Eupatridæ*, εὐπατρίδαι, migrante Burmanno pro sua auctoritate canones Grammaticorum; scilicet Ἀχαιΐδες οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί.

Pag. 159. Mulier vocatur *sicca*, *sobria*, *bonorum consiliorum*. Quam varie & eleganter *sicca* dicatur mulier, quæ omni a parte sicca est, eruditissime hoc loco ostendit pudica admodum explicatio Burmanni, quem vita, ore & animo tam pro-

probum metus est ne posteri Parthenium appellent cognomine, ut quondam Virgilio accidisse memoriæ est proditum. Ipsum audite: „ *Sicca* „ pro abstinente a vino quin sumi possit, nullus „ dubito, sed cum *sobria* addatur, quæ vox eandem fere significationem habet, an non suspicari liceret, convivam hunc ambiguo vocabulo etiam pudicitiam ejus laudare; nam, „ cum mulieres olim, ut notissimum, post coitum aqua se lavarent, & ita, quæ raro se „ pure haberent, frequenti aqua madidæ essent, sicca etiam potest pudica. Ita Martialis lib. XI. Epig. 82. de quadam, quæ contra spem & votum sicca erat:

„ *Cum sene communem vexat spado Dindymus Aglen,*
„ *Et jacet in medio sicca puella toro.*

„ Et ita capere possimus verba Plauti, Milit. „ Act. II, sc. 1, 192. quæ exercent interpretes:

„ PE. *Lautam vis, an quæ nondum sit lauta?*
SA. *Siccam, sicciidam,*
„ *Quam lepidissimam potes, quamque adolescentem maxime,*

„ Vult *siccam*, id est, quæ non diu quæstum „ occeperat, & nondum sæpe madefacta fuerat „ frequenti coitu". Dies diem docet. Etiam viri maximi, quorum eruditioni ulla videtur posse fieri accessio, exemplo suo id docent, atque

eorum curæ secundæ si non sapientiores, saltem posteriores dicendæ sunt. *Siccam* Burmannus mulierem vocat, quæ nondum sæpe madefacta fuerat frequenti coitu. Ne errate de ejus verbis quæso *madefacta frequenti* coitu dicitur, quæ sæpe toto resoluta toro jacuit, & præ nimia voluptate sui ignara diffluxit. Nec aliter verba capienda docet observatio quædam eximia ad Ovidium, cujus verba in Epistola Sapphus hæc sunt, vs. 134.

Ulteriora pudet narrare: sed omnia fiunt:
Et juvat, & sine te non libet esse mihi.

Ante omnia quid ista *omnia*, quæ *fiunt*, sibi velint sciatis. Ipsa Sappho, aut potius sub Sapphus persona Ovidius id antea docuerat:

Oscula laudabas: omnique à parte placebam,
Sed tum præcipue, cum fit amoris opus.
Tunc te plus solito lascivia nostra juvabat,
Crebraque mobilitas, aptaque verba joco.
Quique, ubi amborum fuerat consumpta voluptas,
Plurimus in lasso corpore languor erat.

Ubi in transitu observandum, *jocum*, quod tacitum non sivit Burmannus, ipsissimum *amoris opus* designare. *Omnia fiunt* ergo, ut redeam unde diverteram, significat quoque *amoris opus*, quod puellam nobilissimam lascivia juvabat; quare non libebat illi esse sine Phaone. Ultima pars narrationis

tionis energeticæ languere videtur, & manus medicas, sive obstetricantes, Burmanni postulare. Quid opus est verbis? Denuo ipsum audite, sic commentantem ad vocem *sine te.* „ Nulla hic „ mendi suspicio interpretibus suborta fuit, quod „ miror; nam si verba efficacissima & electa ad „ arcanas Veneris notas, quas optime mysta noster callebat, indicandas, quibus Sappho ple„ nam voluptatem, quam in somniis videre & „ sentire solebat, exprimit, expendissent, facile „ vidissent jejune admodum illud subjici, *& sine* „ *te non libet esse mihi*, quod etiam de amore „ modico & primum nato dici posset. vix enim „ durare sine amatore suo puellas, quamprimum tactæ sint, notum est. & illa locutio „ *sine te* nil nisi præsentiam amoris, quam desiderare videtur, indicare potest. Ita III. Am. „ XI. cum dixisset:

„ *Nequitiam fugio, fugientem forma reducit,*

„ Mox addit:

„ *Sic ego nec sine te, nec tecum vivere possum.*

„ Quæ cum ita sint, quanti faciendus codex ille „ Froncofurtensis, qui solus servavit veterem & „ a reliquis librariis non intellectam scripturam:

„ *Et juvat, & sicca non licet esse mihi.*

„ Legendum nimirum minima mutatione *siccæ*.

„ Tam

„ Tam vivam sibi per quietem imaginem libidi-
„ nis & voluptatis veræ obvenire fatetur, ut non
„ licuerit in toro siccæ jacere. Sic apud N-
„ strum IX. Metam. 484. Byblis, incestum pa-
„ ri fere modo somnium narrans:

„ *Gaudia quanta tuli! quam me manifesta libido*
„ *Contigit, ut jacui totis resoluta medullis!*
„ *Ut meminisse juvat, quamvis brevis illa voluptas.*

„ Simile modo *siccam* vocat Noster, cui hebes
„ locus ille torpet, puellam, II. Art. Am. ubi
„ cum vs. 683. dixisset:

„ *Odi concubitum, qui non utrumque resolvunt,*

„ Addit:

„ *Odi, quæ præbet, quia sit præbere necesse,*
„ *Siccaque de lana cogitat usque sua.*

„ Et ita cape illa Martialis XI, 17.

„ *Tu quoque nequitias nostri lususque libelli*
„ *Uda puella leges; sis Patavina licet.*

„ Vide etiam quæ olim ad Petron. c. XXXVII.
„ notavimus. Et hoc jam verbum exigit præ-
„ cedens *juvat*. Cum enim juvat puellam coi-
„ tus & sentit, a libidinis sensu resolvi necesse est.

„ &

„ & eo ſenſu ſæpe Noſter & alii utuntur. No-
„ ſter I. Am. IV, 67.

„ *Si mea vota valent, illum quoque nil juvet,*
opto;
„ *Sin minus, at certe te juvet inde nihil.*

„ II. Art. 681.

„ *Illis ſentitur irritata voluptas,*
„ *Quod juvet ex æquo femina virque ferant.*

„ III. Art. 793.

„ *Sentiat ex imis venerem reſoluta medullis*
„ *Femina, & ex æquo res juvet illa duos.*

„ Et mox 803.

„ *Quod juvet, & voces & anhelitus arguat oris.*

„ Hero de ſimili ſomnio Ep. XIX, 63.

„ *Multaque præterea, linguæ reticenda mode-*
ſtæ,
„ *Quæ feciſſe juvat, facta referre pudet.*

„ Unde videmus, quam recte Criſpinus *juvat*
„ expoſuetit *prodeſt.* Nulla autem parte veræ
„ & robuſtæ vuloptatis ſe in ſomniis fraudari in-
„ dicant verba *omnia fiunt*, de quibus vide ad
„ Pe-

„ Petron. c. XI." Abite nunc , & querimini , vos neſcire quæ *mulier ſicca* dicatur, cum id tam diligenter vos docuerit iſtarum deliciarum promuscondus!

Pag. 165. Burmannus Terentii locum nova explicatione donat, quam minime æquum eſt prætermitti. Scilicet poſtquam docuerat ſervos, qui alapa erant manumiſſi, in ſervitutem poſſe revocari, niſi vindicta acceſſiſſet, adfert locum Terentii, e fabula ſcilicet togata, atque ideo aptiſſima ad jus Latinum explicandum. Adfert igitur e Terent. Adelph. V, 9. *Syre accede ad me. liber eſto.* SYR. *Bene facis. Omnibus gratiam habeo & ſeorſim tibi Demea.* DEM. *Gaudeo.* ÆSCH. *Et ego.* SYR. *Credo. Utinam perpetuum fiat gaudium.* Atque ita explicat: „ Id eſt , utinam „ quem nunc inter amicos manumittis , vindicta „ liberes ". Talis explicatio nemini unquam pædagogo in mentem venire potuiſſet , qui cum apud Terentium legant:

> SYR. *Credo. utinam perpetuum fiat gaudium ,*
> *Phrygiam ut uxorem meam una mecum videam liberam ,*

adeo ſtolidi ſunt , ut Syrum putent id dicere , gaudium ſibi ſolidum atque perpetuum futurum , ſi Phrygiam , uxorem ſuam , etiam libertate donatam videat. Poſthac , ſi ſapiunt , in prælegendo Terentium diſcipulis , ſequentur explicationem

nem egregii viri, vel propterea, quod illam non capiunt; nam ab illis capi posse mihi quidem verosimile non fit.

Pag. 166. *Ipso homo melior non est, sed liberti scelerati.* Grammaticorum vulgus orationem suppleret per *sunt*, ac si legeretur: *ipso homo melior non est, sed liberti sunt scelerati*, sed Grammaticorum vulgus erraret, ut solet. Nam Burmannus docet supplendum *fuerunt in culpa*, vel simile quid. Ellipsios scilicet doctrina late patet, & licet Grammaticorum filii ἀπὸ κοινοῦ, ut loquuntur, in talibus locutionibus soleant verba repetere, Burmanno tamen æque licet spernere Grammaticorum filios, ut infinitis partibus eruditior omnibus simul sumtis. Alio id exemplo ex Ovidio, quem incredibili atque multorum annorum ærumnabili labore illustratum dedit eruditorum Alpha, docet. Ovidius inquit, Artis lib. III. vs. 57.

petite hinc præcepta puellæ;
Quas pudor, & leges, & sua jura sinunt.

Verbis istis plerique non offensi putarent se ea intelligere, eaque intellectu facillima clamantes, ita ordinarent: *Vos, o puellæ, quas pudor & leges & jura sua sinunt hinc præcepta petere, petite hinc præcepta*; verum ulcus latet, & legendum est *quæ* pro *quas*, ut referatur ad *præcepta*, non ad *puellas*. *Quas* enim Latine vix dici posse, ibi scribit Burmannus.

Pag. 167. „ Horum mancipiorum (pistorum

C „ sci-

„ scilicet & coquorum) olim non multus Romæ „ usus, & coqui iidem qui pistores, unde *coque„ re panem* dicebant". Verba sunt Burmanni, textum Petronii pro more non tantum explicantis, sed etiam elegans aliquid & saporis non vulgaris infercientis. *Coquos* olim Romæ eosdem fuisse qui *pistores* inde discimus, & ex Festo. *Pistores* autem sine controversia fuere qui far pinsebant & panes *coquebant*, cujus vocabuli significatio latius olim patebat, ut quibusdam visum est, quam hoc tempore, quum etiam lateres dicantur *cocti*, & alia, quæ nunc vix a coquis posse perfici credibile sit, *cocta*, *excocta*, & *coctilia*, passim legantur. Nec *coquere panem* propterea dictum putant homines male docti, sed quod Romani aliud vocabulum, isodunamon Anglorum *To bake*, aut Belgarum *Bakken*, non haberent. Quid stultius?

Pag. 171. „ Pluralis *cœli* in usu fuit, non „ tantum poëtica licentia; sed & oratoribus fre„ quentissime ita usurpatur". Pretiosissimum istud sane est monitum, tantoque pretiosius, quanto ante ignotum magis fuit Pædagogis in plurali non *cœla* sed *cœli* esse dicendum. Etiam minuta monere negligit vir summus, ut fugientes jam Musas sistat. *In tenui labor est, tenuis non gloria.*

Pag. 173. Tardi ingeniorum, & seri studiorum, vix intelligent, quæ acutissimus Burmannus habet de carnium venditione apud veteres. Audite semidocti, atque si intelligitis, vos merito feli-

felices & beatos prædicate. „ Laniones, " inquit, „ in libra nasci vult Mathematicus noster, „ quia carnes appensas lance vendebant ; quod „ cum in desuetudinem abiisset, & micandi con„ suetudo digitis colludentibus esset inducta; „ Turcus Apronianus, præfectus urbis sub Va„ lentiniano, edicto iterum revocavit ". At non intelligitis, scio; neque ego possum vobis clarius exponere ; quæ vir magnus clarius exponenda non censuit. Hoc scio, in Glossario Vet. p. 138. legi *Micat*, λαγχάνει, & in Lexicis Græcam istam vocem explicari per *sorte accipere vel nancisci*. Itaque intelligo micationem laniorum, aut privatorum cum laniis hoc modo, ut partibus factis quisque suas partes micatione fuerit sortitus, sive illæ plus penderent, sive minus quam sibi deberetur. Micationem enim nisi post partitionem, & ubi plures partes non sunt, non intelligo. Apud Phœdrum non micat *partibus factis leo*, sed tollit primam, quia nominatur Leo, &c. & socios in venatione partibus debitis privat. Qua ratione *micationem* istam intelligendam censeat, accuratius explicabit Burmannus, ubi intellexerit vos eruditionis minime vulgaris esse cupidiores. Ceterum ex observatione hac corrigendi sunt scriptores quidam, & Corpus Inscriptionum, qui perperam *L. Turcium Apronianum* patrem & filium cognomines exhibent, quum vir eruditissimus exemplo ostenderit, *Turcum* esse scribendum, non *Turcium*.

Pag. 186. *Clamat itaque primus, cum Patruncina*

cina poposcisset. Vox *Pataracina* cum ubique obvia non sit, varie a Criticis explicata fuit. Videretur Reinesius in literis ad Heinsium rem acu tetigisse, explicans de calceis Pataris, Lyciæ urbe, confectis, quod genus egregie elaboratum atque auro ornatum, narrat Lucianus, nisi obstaret oculorum acies Lyncea Burmanni, qui solus vidit, Petronium dedisse: *Cum PATER, ACINA poposcisset*, quum servus, nomine Dionysus, gestaret scilicet uvas in calathisco. Hominis ingenti famæ male cupientes dicent forsan istam emendationem absurdam, cum in ipso textu plane nihil præcedat, nihil sequatur, quod suadeat ita esse legendum. At isti nesciunt esse eruditi, nec vident in auctoribus loca depravata. Quo incommodo apud eruditorum vulgus emendatio hæc esset laboratura prævidit vir acutissimus. Nempe hyems erat, & homines isti imperiti putant tantum tempore autumnali uvas reperiri; verum „ hæc *acina condita* capere oportet ", id est uvas passas, quæ per multos etiam annos durant. Scitote itaque in cœna Trimalchionis sumtuosissima uvas passas a puero circumlatas fuisse, & sumtas, si quis *de cubiculo recta in triclinium ire* vellet, ad quam rem multo aptiores sunt uvæ passæ, quam calcei Pataracini.

Pag. 187. „ Vestiarii sunt, qui vestes conficiunt ". En singularem in istis verbis modestiam Burmanni. Quippe cum omnes, quotquot *ante* fuerunt eruditi, in munere *Vestiariorum* describendo erraverint, ipsorum pudori parcens nemi-

minem nominat. Præſertim tamen refutat Laurentium Pignorium, qui in Opere de Servis & eorum apud veteres miniſteriis ita ſcripſit: „ Veſtem curabant veſtiarii. Veſtimenta autem „ erant tricliniaria, virilia, puerilia, &c". Alii putaverunt *veſtiarios* præterea dici qui veſtes vendebant, ſcilicet jam confectas, unde in Jure *Negotiator veſtiarius*, & in Inſcriptionibus *veſtiarius tenuiarius* (qui ſcilicet tenuioris fortunæ hominibus vendebat veſtes uſu jam paululum adtritas) occurrunt. *Veſtiarios*, qui veſtes conficiant, ante Burmannum dixit nemo; ut nec quisquam fuit, qui adfirmavit *Luxurioſos maxime ferventia balnea probaviſſe*, quod ibidem vir eruditiſſimus docet, quoniam alii ultra *calentia balnea* progredi non fuerunt auſi.

Pag. 191. Medicorum concertationes circa ægrotos, nullo idem ſentiente, ne videretur alterius acceſſio, egregie deſcripſit certe jam ſua ætate Plinius, easque in ſcenam traduxit Molierius. Recte id obſervavit Burmannus, qui tamen cum addat ægrotum in fabula Molierii interim periiſſe, videri poſſit latus apertum præbuiſſe ſemidoctorum malevolentiæ, niſi probata ejus eruditio præſtaret eum nobis ab omnibus erroribus immunem. Diligentius igitur naſutuli iſti legant Molierium, donec intelligent Commentatorem Petronii nihil falſi dixiſſe.

Pag. 194. *Moleſtus fuit Phileros.* Etiamſi minus quam Burmannus Græce docti, conſtanter flectant *Phileros*, *Philerotis*; *Niceros*, *Nice-*

 ro-

rotis, & si quæ alia ejusdem sint formæ, ille tamen ad notata verba ita scripsit: Sensus postu-
„ lat, ut scribamus: *Molestus fuit Philera*, vel
„ si *Phileros*, *Philerotis*, faciat *Phileroti*". Ista sane dubitatio circa flexionem nominis non ubique obvii eximiam viri indicat modestiam, quæ postulat, ut ille diffidat suæ ipsius eruditioni. Incertum igitur est, qua ratione vix *Phileros* sit flectenda, cum vir tantus vel tantillum dubitaverit. Præterea, quod emendat: *Molestus fuit Philerott*, tota ista mutatio videbitur quibusdam minus necessaria, quum æque Phileros potuerit dici molestus Seleuco interrumpens orationem ejus proclamando, ac Seleucus Philerotí declamando, & mentione mortui. Aliter judicarent homines infruniti, si scirent quam laudabile habeatur hodie facinus loca veterum, etiam non corrupta, emendare, ut ostentes acumen criticum.

Pag. 196. Burmannus: „ *Manus uncta* idem
„ est, quod lauta, liberalis. Terent. Heaut. Act.
„ IV. sc. 5. *omnes te in lauta & bene uncta par-*
„ *te putant*, ut recte correxerunt viri docti:
„ Frigidum enim est *bene aucta*. Firmat alter
„ locus Phormionis Act. II. sc. 2. *Tene asymbo-*
„ *lum venire, unctum atque lautum a balneis*".
Ita tandem habent eruditi, quid statuant de loco isto ex Heautont. antea vexatissimo. Nam quod Bentleius nostras legit: *Omnes te in lauta esse & bene aucta re putant*, pauci non est, quia ejusmodi lectio, qua versui restituuntur pedes, sensus autem fit facilis & clarus, ut liquido jurare possis

possis Terentium non aliter scripsisse, etiam vulgo placeat, & aliorum scriptorum testimoniis fulciatur, cum præstet ultra captum vulgi sapere, versuum minutias spernere, atque invehere lectionem singularem, cui apud auctorem neminem probatum facile similem invenias. Mire etiam eo facit locus iste alter è Phormione, ubi *unctum atque lautum* propria sumitur significatione. Caput ungi solitum notius est, quam ut testimonio poëtæ dicentis *unde caput unctius referrem* opus sit: & quid vetat etiam *manus unctas* dicere significatione translata, si quidem usquam reperiatur propria? Grammaticorum enim filii negant locutionem quamcunque translate sumi posse, quæ proprie sumta sensum nullum faciat. Quisquis vero unquam, turpis criminis reus, *unxit manus judicum* bene novit, quid per *manum unctam* intelligendum sit. Imprimis quoque huc facit, quod apud Petronium de cœna agatur, & apud Martialem legatur *Qui non cœnat & ungitur, Fabulle*, &c.

Pag. 199. *Servi illum pessum dederunt.* Ad quæ verba inter alia, vulgi captum longe longeque superantia, adnotavit eruditionis promus-condus unicus: „ *Pessum* fundum notat, unde „ *pessum dare* pro *in pessum dare* ". Unde sane sequitur etiam dici posse *fundum dare* pro pessum dare. Alii dicunt *pessum* adhiberi de rebus, quæ in aqua conjectæ fundum petunt, non de fundo ipso, sic ut amplius non conspiciantur, idque docere volunt è Columell. XII, 6. *Est & aliud*

 mu-

muriæ maturæ experimentum ; nam ubi dulcem caseum dimiseris in eam, si pessum ibit, scies esse adhuc crudam, si innatabit maturam. Fundus est locus, quo res *pessum eunt*, ajunt, non fundus ipse, qui immotus in vase persistit. Interim tamen arguti isti non vident, Burmanni auctoritatem, In qua omnia sunt, obstare illorum nugamentis.

Ibid. „ Auricularius " (verba sunt viri summi) „ venit ab auricula, cujus dolori medetur, ut „ vocatur in leg. 4. §. 6. ff. De Ædilitio edicto. „ Et infinita remedia a Plinio passim & Celso lib. „ 6. c. 7. contra vitia auribus (forte leg. aurium) „ præscripta, docent hanc minime neglectam „ medicinæ partem fuisse". Videtis plane explicatam vocem *Auricularius*. Quod si quis aliam capiat longe diversam explicationem, is tantum vertat folium, ubi ab eodem viro summo adnotatum leget *Auricularios* esse delatores, ὠτακουστάς, qui omnia deferunt. Et recte sane; nam & apud nos auricularii plerumque sunt circumforanei, agyrtæ, qui si spes lucri adfulserit, delatores esse non recusabunt.

Pag. 200. Fortunæ filium describit Petronius, *cujus in manu plumbum aurum fit, & ubi omnia quadrata currunt.* Quæ ultima verba, proverbii speciem non inelegantis habentia, ita solent explicare eruditi, ut respiciant hominem, cujus nutui omnia se accommodant, contra etiam ipsam indolem ac naturam suam; ut Quadratorum quorumvis naturæ nihil magis est contrarium quam cur-

currere, quod rotundorum eſt. Bonum tamen factum. Eorum inſcitiam caſtigavit Burmannus, ſolita ſibi modeſtia ita ſcribens: „ Non cepiſſe „ mihi vim horum verborum videntur eruditi. „ Et quæ de voce *quadratus* notant ὑδεῖν πρὸς „ ἴπ☉: nam certe rotunda facilius quadratis cur- „ runt. *Quadrata* enim hic vocat, quæ ſupra „ ſolida. Quadrata ſunt omnia ubi ratio eſt ſub- „ ducta, & expenſa acceptis reſpondent; cui „ contrarium eſt conturbare. Ubi ergo omnia „ talia quadrata currunt, id eſt, expedita ſunt, „ ibi *facile* eſt, id eſt ibi commode & in omnium „ rerum copia vivitur ". Dii immortales, homo homini quid præſtat! ſtulto intelligens! Quis mortalium unquam, præter unum virum illuminatiſſimum, ſenſum iſtum Petronii verbis ſubeſſe vel per nebulam ſenſiſſet! Nota etiam axioma phyſicum, ſi forte quisquam antea de ea re dubitaverit: *Rotunda facilius quadratis currunt*; & deinde rationes ſubductas non dici congruere, ſed *currere*.

Pag. 201. *Corneolus fuit, ætatem bene ferebat.* Ad iſtum locum ita commentantem communem præceptorem audimus: „ *Corneum* recte pro duro exponunt. Sed ego hic præterea quid obſcœni latere puto: duram nimirum iſti fuiſſe „ partem, qua in ea ætate ſenes minime ſunt du- „ ri. Infra c. 135. *Niſi illud tam rigidum reddiderat quam cornu* ". Ut ſua eruditionis tam neceſſariæ quam utili parti huic conſtarent teſtimonia, potuiſſet addi Penelopes, caſtiſſimæ ſci-

 licet

licet feminæ, testimonium :

Nemo meo melius arcum tendebat Ulyssi,
Qui latus argueret, corneus arcus erat.

Pag. 202. *Nemo curat, quid annonam mordet.* Schefferus emendabat *quid annonam artet*, ut *annona arcta* pro cara est apud Suetonium. Heinsius aliud tentabat. Neuter satisfecit Burmanno, qui sane, utut laudet Heinsium, a neminis conjecturis libentius recedit quam a sæpe tam ambitiose laudato viro. Is igitur ad proposita verba sic commentatur : „ Intempestivæ virorum doctorum conjecturæ. Schefferi longius „ abit, Heinsii minime verosimilis. Lego, ge„ minata modo litera *m*, quid annonam mordet: „ quæ locutio studio captata a garrulo Ganyme„ de, idem notat, quod minuat, consumat, ita „ ut fere nihil sit reliqui. Non dissimili sensu „ Horatius Lib. I. Epist. 8.

„ *quia grando*
„ *Contuderit vites, oleamque momorderit æstus,*

„ Ut ibi æstus, ita hic siccitas ". Sic est, ne dubitate, ut dixit vir celeberrimus, quamquam verba Horatii, *oleamque momorderit æstus*, Lambinus (quem homines quidam male suadi infinitis partibus Burmanno doctiorem fuisse audent putare) explicat de olea æstu læsa & affecta, nequaquam de olea æstu consumta, ita ut fere nihil

ſit reliqui. Utinam igitur Burmannus e divite exemplorum penu protuliſſet vel duo aut tria, ubi *mordere annonam* ponatur pro *minuere*, *conſumere*, *ita ut fere nihil ſit reliqui*. Nos ſane, quæ eſt noſtra inſcitia, reperire non potuimus probatos auctores unquam ita fuiſſe locutos. *Mordere pulverem*, *humum*, & ſimilia, paſſim reperiuntur. *Morderi opprobriis*, quod apud eundem Horatium legitur, quid ſit ut malo ſuo multi intelligant jamdudum, fecit pugnax Burmanni mordacitas.

Pag. 203. Commode evenit, ut dum fortuna eruditionis nos ad Horatii vireta detulerit, in proximo reperiantur unus & alter locus ejusdem poetæ, cui Muſa ipſa nomen dedit & ſpiritum poetæ. Docet vero Commentator noſter, poſt Gronovium patrem & Petrum Fabrum, ſæpe prænomina, *ille*, *is*, omiſſa; & addit tandem; „ Hoc non obſervatum obſcuravit Horatii lo-„ cum, Lib. III. Od. 27.

„ *Ego cui timebo*
„ *Providus auſpex*,
„ *Antequam* &c.

„ Pro ego ei, cui timebo, ſuſcitabo oſcinem cor-„ vum, ut recte Paſſeratius explicuit ". Hactenus quidem plana ſunt omnia, & ſecundum eruditiſſimi Bentleii diſtinctiones in luculentiſſima illa Horatii editione Paſſeratii explicatio locum habere poteſt; verum turbat ipſius Burmanni edi-

editio, in qua diſtinguitur longe aliter. Scilicet:

- - - - - - *Ego cui timebo*
Providus auſpex?
Antequam ſtantis &c.

Statuendum igitur eſt utroque modo rectum eſſe: nam dicere virum tantum ſui fuiſſe oblitum religio eſt.

Pag. 205. Eſt alter iſte Horatii locus, de cujus explicatione agit Burmannus, ſuæ eruditionis ubique floſculos ſpargens. Verba Petronii, quæ occaſionem dederunt adfundendi lucem verbis Horatii, hæc ſunt: *Sic iſtos percolopabant, ut illis Jupiter iratus eſſet.* Ad iſta autem præter alia non minus erudita adſcripſit vir invidia major; „ Ex vulgari ſermone hoc deſumtum eſ-
„ ſe nos docebit Horatius Lib. I. Sat. 1.

„ *Quid cauſæ eſt, merito quin illis Jupiter ambas*
„ *Iratus buccas inflet, neque ſe fore poſthac*
„ *Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem.*

„ Ad quem locum multa iuterpretes; ſed nihil
„ ad rem pertinent, quæ de arrogantia aut ira
„ adducunt, cujus ſignum inflatæ buccæ eſſent.
„ Sed τὸ *illis* cum *inflaret buccas* jungendum eo
„ ſenſu: Quid cauſæ quin Jupiter iratus colaphos
„ illis infligat, & contemtiſſimos mortalium red-
„ dat ". Gratias agimus tibi, Pater explicatio-
num

num elegantium, quod nos retraxeris ab errore, & docueris intelligere Horatium. Nam nos, homines simplices & minime vafri, ante longe aliter capiebamus Horatii verba, scilicet: Quid causæ est, quin Jupiter iratus illis inflet ambas buccas, & dicat, se posthac non fore tam facilem, ut non mortalibus Jupiter inflasse buccas dicatur, sed ipse, præ ira turgens, inflatis buccis denuntiaverit mortalibus, se postea non tam facilem fore. Vah pudet nos erroris fœdi! Induxerant nos in errorem epitheta iræ tributa a poëtis, inter quæ haud pauca sunt a turgendo deducta, nec videbamus multum interesse, utrum quis *ira tumidus* an *buccis inflatis*, ab Horatio certe, diceretur.

Pag. 207. Censoris munus interdum agere debet Commentator diligens, ut materiam præbeat nasutulus de se magnifica quævis narrandi in Thermopoliis, & traducendi mores aliorum eruditorum malos; ut ipse scilicet iis videretur carere. Strenue id munus interdum implet Burmannus; nec parcit etiam oratoribus sacris, ubi occasio quæsita sese dat. In eos, loco indicato, sic invehitur: „ Quam fœdum autem „ fuerit crebro spuere, docet magnus Oratoris „ formator Quintilianus Lib. XI. Inst. c. 1. qui „ inter vitia pronunciationis recenset. *Tussire, &* „ *exspuere crebro, & ab imo pulmone pituitam* „ *trochleis adducere, & oris humore proximos spar-* „ *gere, & majorem partem spiritus in eloquendo* „ *per nares effundere.* Putares Quintilianum no- „ stri temporis clamatores vidisse, qui, cum o-

„ mnem

„ maem ætatem a pueritia verbis faciendis destinaverint, nihil. tamen minus discere volunt in adolescentia, quam bene dicere & recte pronuntiare: & putant inepti illi præcones se Deum iratum habituros, si sublimes & cœlestes sermones dicendi gravitate & decore ornarent. Immo quotidie videre est qui adfectant hæc intolerabilia bonis auribus vitia, ejulare, cantare, muliebriter vociferari, & omnes voces torquêre per narium cavitatem; quod sanctimoniæ quiddam singularis habere turbæ plebejæ jactant. Exspuere autem & auditores proximos rore quodam ex immundo ore spargere, sæpe quærentes audivi mulieres (hæc enim propriores illis esse solent) quæ suum mundum madidum domum referebant. Alios cernas (qua ostentatione scenica Gallici nostri Roscii excellunt) sudario centies abstergere faciem adhuc siccam, & emungere nares minime mucosas. Sed valeant molesti illi concionatores, & ad fatigandas aures bonas nati, nos ad Petronium revertamur ". Videtis rationem capiendi utilitatem etiam ex vetularum, mulierum certe, narratiunculis. Pulchra hinc quæstio posset formari, an scilicet *mulieres, quæ suum mundum madidum domum referebant*, possent dici eodem tempore *siccæ*, de cujus vocis significatione egimus supra, pag. 26. &c. Verum persequamur potius Burmanni observationes, ut ne amittamus interea occasionem proficiendi, neve sinamus, alia nos vel tantillum remorari. De aliis eruditis postea videbimus.

Pag. 210. Simulac locum scriptoris veteris alius Petronii occasione emendatum reperiatis, mementote illum ad marginem codicis, si quem illius auctoris codicem habetis, adscribere, ut postea emendatis auctoribus utamini. Emendatur locus Flori, Lib. III. c. 21. §. 17. *Quid futurum fuit, si annum consularis implesset*; ab eximio viro, ea, quam indicavimus, pagina, his-
„ ce verbis: „ Mallem *consularem*: ultimas literas
„ *em* a primis in *implere* fuere absorptæ. *Consul*
„ legit Vossius ad Vellej. Lib. II. cap. 51. ".
Nos tamen non possumus dissimulare, quid nobis hic accideret. Cum scilicet istam viri summi emendationem essemus adscripturi, invenimus jam ante ab eodem doctore locum aliter ad Vellejum emendatum his verbis: „ Apud Florum lib. III.
„ c. 21. mallim legere: *si annum consulatus im-*
„ *plesset*, ut est in quibusdam codicibus & tue-
„ tur Freinshemius „. Inspeximus igitur Vellejum putantes nos falsos errore scibendi, sed tamen re ipsa cum verum esse, quod scripseramus, compertum esset, non dubitavimus diutius, quin utrumque esset rectum, quoniam Burmannum habebit ἐμόψηφον, qui apud Florum loco indicato legerit: *si annum consularem implesset* in observationibus ad Petronium, qui autem legit: *si annum consulatus implesset*, tuebitur sese ejusdem auctoritate in notis ad Vellejum. Porro notari meretur, quod Burmannus, ut est dives lucubrationum aliorum doctorum, sine dubio possideat notas Vossii ad Vellejum ineditas, nam in editis

qui-

quidem Vossius explicat Flori locum, sed plane *consul* non legit.

Pag. 218. *Ferrum optimum daturus est sine fuga, carnarium in medio ut amphitheatro videat: & habet unde.* Loco huic quidam alienum plane sensum affingunt. Burmannus, ut solet, solus verum vidit. Videamus primo aliorum explicationem, quo clarius pateat, quid Echion centonarius voluerit, magnifice laudans munus gladiatorium, quod Decurio quidem, sive Sevir, municipii esset daturus. Illi putant verba prolata id significare: Titus noster est daturus gladiatores optimos & valentissimos, quibus non licebit fugere, aut detrectare pugnam, quoniam victi occidentur, ut ille videat polyandrium, sive coemiterium, in medio amphitheatro: & habet unde tanto sumtui sufficiat, quantus est faciendus in comparandis gladiatoribus, qui ea lege atque conditione in arenam descendere non recusant. *Carnarium* sane ajunt significare locum, ubi ossa mortuorum ponuntur, idque tum a voce Gallica *Charnier*, idem significante, tum e variis scriptorum locis, quæ collegit Du Cange in Glossario, demonstrari posse putant. Nesciunt isti homines, puto, *carnarium* dici locum, quo carnes, sive siccæ, sive fumo induratæ, in usum reponuntur, ut patet ex Plauto, cujus locum observationi suæ adscripsit eximius Burmannus. Audite nunc τὸν πάνυ in eadem Echionis verba ita commentantem: „ Non mutarem hic aliquid, „ sed caperem de machina, quæ erecta in media

„ arena

„ arena speciem carnarii præbebat, quale noster
„ refert infra cap. 95. & 135. & 136. & a Plau-
„ to Curcul. II. sc. 111. 45. & auctore Moreti
„ verf. 56. memoratur, in quo reposita erat
„ visceratio, vel carnes, quas die muneris sui
„ plebi esset divisurus: ita enim moris fuisse, ut
„ lauti muneratores spectaculis epulas, panem,
„ vinum, crustula, mulsum, & similia adjice-
„ rent/ infiniti lapides testantur. Nova hac &
„ inusitata scena municipalis hic noster Titus po-
„ pulum delectabat, qui lardum & omnis gene-
„ ris carnem ibi suspensam videbat „. O Virum dignum, cui Pallas sedem in orchestra det! Scilicet denuo ille hoc loco dicit, quod nemo ante se dixerat, & docet quod nemini ante se in mentem venerat. Multi sunt, qui scripserunt, & idoneis auctoritatibus ostenderunt, muneri interdum viscerationem fuisse additam; qui autem docuerit lardum & omnis generis carnem in media arena suspensam fuisse ad delectationem populi, præter unum Burmannum, adhuc repertus est nemo. Fingite tabernas, quales ubique in mercatibus solemnibus ad dies paucos eriguntur, ambulatorias in medio fuisse amphitheatro positas, gladiatoresque circum illas pugnantes; & reputate vobiscum novam istam & municipalem scenam non tantum isto tempore populum, sed & hoc tempore summum virum delectavisse.

Pag. 219. In ejusdem muneris descriptione, verbis non adeo multis interjectis, pergit Echion: *Jam mannos aliquot habet, & mulierem esseda-*

 riam,

riam, quos nempe etiam esset daturus. Schefferus, vir doctior quam jactantior, suspicatur legendum: *jam nanos aliquot habet*, &c in qua suspicione sibi adsentientes reperit plerosque antiquitatum peritos, qui norunt nanos interdum in arena depugnasse, & populo longe gratissimum accidisse, si quid insolitum exhiberetur, quale & nani sunt & mulier essedaria. Burmannus tamen legit „ *mannos*, qui delicatis & lautis maxime „ appetebantur, ut ex Horatio notissimum ". Sic est. Nemo negat. Atque utinam singulari eruditione vir adeo nostrûm fuisset misertus, ut docere non fuisset dedignatus, cui usui in arena, de qua hic agitur, forent manni! Circum equos sæpe ingressos, ad venationem aut ad aurigationem legimus, verum non meminimus in amphitheatro alterutram peractam fuisse.

Pag. 229. *Ingeniosus est & bono filo, etiamsi in naves morbosus est.* Sunt verba ejusdem Echionis, hominis pene barbari, abnormis certe, quæ ita explicantur a Burmanno: „ Præstat *in nave* „ *morbosus est*, id est, mariscas habet. *Navis* „ est podex ficosus. Varro: *Navem si divides perdes.* lege: *Navem si divides, pedes.* Pauca ista verba docent nos nova quædam & ante non observata. Notarunt quidem jam dudum viri eruditi ad Macrobii Saturn. II, 5. Lipsius in Quæstionibus Epistolicis, aliique, *navim* dici pro horto muliebri, unde novissimum Juliæ dictum, *se non nisi plena navi tollere vectorem*; at navim quoque vocari *podicem ficosum*, ante Burmannum

plano

plane ignorabatur. Locum Varronis vero ita emendatum ne memoriæ excidat, adscribite eximio libro, cui titulus est: Discursus Methodicus de Peditu ejusque Speciebus.

Pergit Echion ibidem: *Jam tres carduelęs occidi*: Elegantissime, ut semper fere, ad ea Burmannus: „ Cardueles se occidisse jactat puero, „ ne iis avocaretur a studiis, notissimum enim „ illud adagium, versu non optimo expressum; „ *per pisces & aves multi periere scholares*. Has „ vero aves cardueles pueri deliciarum causâ ale„ bant". Discite, hac opportunitate data, versiculum vulgatissimum, *per pisces & aves* &c: non significare multos in studiorum cursu defecisse, avocatos & illectos dulcedine piscatus & aucupii, quibus omne tempus vacuum impendebant; sed defecisse, quod cardueles ante fenestram in cavea aluerint; atque iis sese oblectaverint. Ne igitur, quisquis studia bona amàs, cardueles aluisse velis.

Timidi est nusquam aliorum vitia tanhere, illaque iis acerbe exprobrare: Qui vero stylo ferreo quorumvis eruditorum errores, inscitiam, barbariem & asininam stupiditatem castigat; videbitur saltem plerisque lectoribus, præsertim studiosæ juventuti, libenter doctorum vitia prædicare audienti; omnium istorum vitiorum esse immunis. Suo in ea re exemplo nobis præivit fortissimus Burmannus, quæsita atque aliunde arcessita causa, quosvis eruditos apud vulgus traducens, quod cum facit; simul innuit se eum

 esse,

esse, qui vitiis careat, cujus nec vita, nec labra aliquo vitio inquinata sunt. Illum imitemur oportet, si strenui atque pugnaces haberi volumus. Nec satis est virum singulari audacia in exemplum proposuisse; agite ex optimæ frugis plenis ejus annotationibus, quæ ideo præsertim placent, quod aculeos habent, & mordaces sunt, enotemus, ut postea simili exemplo, si opus sit, alios possimus ridendos vulgo proponere. Concionatorum vitia jam supra acriter traducta vidimus.

Pag. 230. „ *Sibi placere*, proprie de homine „ triviali, & pædagogico fastu, qui inde in pro„ verbium abiit, tumente, supra cap. 44. expli„ cuimus. Et vide Erasmum in proverbio: *Suum* „ *cuique pulchrum*. Et certe gens hæc madens „ sermone pingui, tam sibi placere solet, ut pri„ mi ordinis eruditos præ se non modo conte„ mnat, sed ferulam dum gestat, sceptrum sibi „ regium datum videri cupit". In quibus verbis etiam est observandum *primi ordinis eruditos* dici professores literarum humaniorum, qui sese putant præstare ceteris animantibus.

Ibid. paulo post: „ Quid magis detestabile in ju„ ventutis magistris, quam non certo & compo„ sito ordine per gradus omnium disciplinarum „ Tirones ducere. Novit & nostra ætas, non „ pædagogos modo, sed primi ordinis doctores, „ qui publica largitate ad corrumpendos juvenes „ auctorantur, & qui cum præ corporis mobili„ tate adeo nusquam consistere possint, ut ne

„ picto-

„ pictoribus facultas sit eorum effigies exprimen-
„ di, ita neque mente certa consistunt, sed ma-
„ gnifica promittentes, discipulos per omnes do-
„ ctrinarum partes saltare docent, ut picas, &
„ ne disciplinas quidem graviores certa methodo
„ tradere possunt, quia ipsi sibi placent, & o-
„ mnia scire jactant ". Quo hæc spectare puta-
tis ? Ad frequentiam collegiorum, ut professores loqui amant, quam sibi imminui cordatissimus quisque dolet, quavis ratione diligentissimus quisque adserit, & audacissimus verborum contumelilia ulciscitur.

Pag. 231. „ Sale Satyrico Petronius rabulas
„ & vultures forenses perstringit, qui per se in-
„ gratum, & Venere nulla, qua se commendet,
„ dotatum Juris studium a nemine excoli osten-
„ dit, nisi pecuniæ corradendæ aviditate; cum
„ reliquæ artes, ut poëtice & eloquentia, bo-
„ nam mentem quidem dent, sed paupertatis
„ sororem efficiant. Et certe non alia etiam
„ hodie hujus studii ratio est, cum & qui docent,
„ & qui in foro vocem suam prostituunt, omnem
„ illam disciplinam in quæstu habeant, qui si
„ abesset, nemo vel labris primoribus eam gu-
„ stare dignaretur, cum unica in ea voluptas sit
„ discipulos & clientes pecunia emungere. Ne-
„ mo autem melioribus coloribus hujus κακοτε-
„ χνίας, & sellulariæ artis alumnos depinxit Am-
„ miano Lib. XXX. cap. 4. ubi diversa genera
„ advocatorum describens inter alia postremum
„ genus ita describit: *Est genus impudens, per-*

„ *vicax*, *& indoctum eorum*, *qui*, *cum immature*, „ *e literariis eruperint ludis*, *per angulos civi-* „ *tatum discurrunt*, &c. Et deinceps addit: „ *Repertos nonnullos tam rudes*, *ut nunquam co-* „ *dices habuisse se meminerint*, *& si in circulo do-* „ *ctorum auctoris alicujus veteris nomen inciderit*, „ *piscis aut edulii peregrinum vocabulum arbi-* „ *trantur*. An non imaginem nostri seculi vi- „ dere licet, quo plerosque jurisprudentes reli- „ quarum artium, etiam earum, sine quibus „ jus addisci nequit, tam imperitos cernimus, „ ut nihil mirum sit, si librorum nomina igno- „ rent, quia intra compendia & quosdam ru- „ bricatos codices omnem ætatem, transege- „ runt". Fortiter sane! Mirum tamen advocatis homini tam vehementer eos vituperanti dicam grandem scripsisse, & ausos fuisse aliquando adesse puellæ, quæ dicebatur, virginitate per incestos amore imminuta, Burmanni semine jacuisse repleta. 5/

Pag. 232. *Literis satis inquinatus est*. Denuo ista vir modestissimus arripit verba, ut parentes incuset, qui liberos ipsius disciplinæ non tradunt, quo collegia habeat frequentiora. Audite ipsum: „ Non ad magistri negligentiam referenda hæc, „ sed ad fastidium hujus plebeji, quem ita lo- „ quentem inducit Satyricus, ut parentes illos „ defricet sale suo, qui putant liberos suos pol- „ lui & inquinari, si bonis quidem, sed inutili- „ bus ad panem artibus diutius inhæreant. & ideo „ spes suas statim ambitioni vel lucro donant.

„ Quod

„ Quod ferendum in indoctis & plebejis parentibus; sed quis ferat ipsos doctores hanc parentum insaniam adjuvare? cum pueros impuberes, ex ipsis ludis literariis, ubi elementa ipsa linguarum levi & præcipiti opera hauserunt, raptos, illico ad ipsum juris studium præcipites ire compellant; & ne scholæ suæ numerum non habeant, malint corrumpere & perdere juvenum studia, quam exspectare discipulos, qui prius severa lege profecerunt. Sed talibus discipulis, qui antea literis, & historiæ & antiquitatis cognitione accurata præparati essent ad graviores disciplinas, præter putida illa artis compendia, aliud quid esset præcipiendum, quo ulterius sapere discerent. Sed ingenui scilicet sunt nostri, nolunt plus docere quam sciunt, ideo etiam inquinatos literis non amant, sed puros & nudos, id est ignaros, suæ disciplinæ aptissimos judicant ". Prudenter sine dubio talia monet vir majori theatro dignissimus, & tam pecuniæ quam laudis avarus, quique aliorum existimationi nihil detractum voluit unquam.

Pag. 231. *Non quidem doctus, sed curiosus, qui plus docet quam scit.* „ *Curiosus* (inquit Burmannus) cum a cura deducatur, notare potest aliquem, qui sua, quæ novit, multa cura expolit, & meditatione frequenti coquit ". Grammatici, quorum nugas primi ordinis doctores raro curant, hactenus putavere, adjectiva in *osus* desinentia copiam significare, aut multitudinem

 ista-

istarum rerum, quæ designantur istis nominibus, unde eadem adjectiva derivantur, ut *piscosus*, *ebriosus*, *tenebrosus*, *curiosus*. Quorum nominum significationes, si bonum aliquod atque expetendum designent, ipsa quoque adjectiva inde derivata similem significationem servant. Si igitur curarum cupiditas aut copia laudanda est, etiam vox *curiosus* recte in bonam partem accipietur, etiamsi Plautus dixit, *Nemo est curiosus, quin sit malevolus*, quia scilicet ille putavit hominem aliena curantem, atque sibi ultra curas, quibus carere licuisset, arcescentem *curiosum* dici, contra quam Latini sermonis callentissimus Burmannus hic docet. *Curiosum* dici magiæ aliarumque artium vanarum studiosum, idem recte adfirmat, & prolato Horatii loco ex Epod. ultima circa finem docet: *Ut ipse nostri curiosus*, quæ verba sunt Canidiæ Horatio curiositatem exprobrantis, sive aviditatem cognoscendi res nihil ad se pertinentes. Ea tamen tandem plorat exitum jactatæ artis, quæ nihil habet, quo Horatium possit lædere, sive, ut ipsa Canidia loquitur verbis poetæ, postquam nimis magnifica de se promiserat venefica:

Plorem artis in te nil habentis exitum.

Quæ verba satis clara misere corrupit, quisquis ille sit, editor Trajectinus anni MDCCXIII. quadriennio post Petronium editum, atque ita, tanquam in conspectu Burmanni, legens:

Plo-

Plorem artis in te nullum habentis exitum.

Nullis enim fidiculis idoneum ex illis sensum elicies, nisi velis *plorare* cum generandi casu ponere, & præterea contendere Latine dici *Ars ea habet exitum nullum in te*, quod nunquam admittent sermonis Romani bene periti.

Pag. 237. *Nullum puto tam magnum tormentum esse, quam continere.* Supra vidimus quam eleganter Burmannus *perdes* Varronis mutarit in *pedes*. Hic denuo occasionem arripit disserendi duobus diversis locis multa egregie de peditu, sive, ut honestiore vocabulo dicamus, de crepitu ventris. Gravem dissertationem, de re tamen admodum levi, vir istarum rerum scientia, si quisquam alius, imbutus claudit hisce verbis: „ Sed rusticitatis, ut nunc, ita olim fuit character honestis auribus oppedere, &, quia ditiores & lascivi palam id sæpe faciebant, vel ad ostentandam, præ inferioribus, sortis suæ felicitatem, vel ad insultandum humilioribus, hinc Græci πέρδειν & καταπέρδειν de homine dixerunt, qui huic fœditati & superbiæ est obnoxius. Hinc jocus intelligendus Martialis Lib. X. Epist. 14.

„ *Nil aliud video, quo te credamus amicum,*
„ *Quam quod me coram pedere, Crispe, soles,*

Quæ verba etiam sunt aptissima, quibus augea-

 tur

tur ſupra indicatus libellus De Peditu & ejus Speciebus. Præterea diſcite, quid ſit *honeſtis auribus oppedere*, ſcilicet pedentibus auribus, aut crepitum edentibus, vicem ſimilem reddere; ut apud Horatium *Curtus Judæis oppedere*: & Martialem non ſcripſiſſe epigrammata, ſed epiſtolas. Nam cum illud *Epiſt.* inter errata typographica non reperiatur, vix pro errato videtur eſſe habendum.

Ad ſolidam eruditionem non minus conferunt, quæ docet Burmannus de natibus tergendis pag. 237. *Minutalia* contra Heinſium, ut ſæpe ſolet, exponit Burmannus. Docuerat Heinſius *minutal* de carne, vel re qualibet alia minutim inciſa, in re culinari uſurpari. Longe vero aliter Hercules noſter κοπρεοφόρος. „ Hic intelligit lintea„ mina vel alia parata ad detergendas nates, quæ „ pro ejus luxuria non vilia fuiſſe oportet; licet „ faſtidioſe *minutalia* appellet. Pauperiores au„ tem has ſordes lapillis, vel ligno, vel herbis „ abſtergebant". Plenæ bonæ frugis eſt iſta obſervatio, in qua tamen Burmannus a nimia eruditionis oſtentatione ſeſe continuit. Alioqui addere ei fuiſſet integrum interdum teſtas muſculorum, chartam, immo & digitum cacantis idem officium præſtitiſſe ſecundum elegantiſſimum Diſtichon:

Cum tibi charta deeſt, digito purgato foramen,
Si non induſium vis maculare tuum.

Pag.

Pag. 244. *Sibyllam Cumis ego ipse oculis meis vidi in ampulla pendere; & cum illi pueri dicecerent:* Σιβύλλα, τὶ θέλεις; *illa respondebat* Ἀποθανεῖν θέλω. Ex Ovidii Metam. Lib. XIV. patet Phœbum pro virginitate obtulisse Sibyllæ Cumeæ tot annos, quot arenulas illa manu sublatas ostendebat; illam tamen non simul optavisse, ut juventas perpetua sibi daretur, quo factum est, ut illa *consumta membra senecta*, corpore fuerit ita imminuta, ut vix ulli videretur, & tantum voce nosceretur. Ista Ovidii narratio imperitis sufficeret ad fabulam de Sibylla Cumea, quam Petronius hoc loco tangit, explicandam, præsertim si *pendere in ampulla* caperetur pro *impendere ampullæ*, ut anus, quæ plerumque finguntur plus æquo vinum amare, solent. Et recte anus decrepita potest fingi, capite tremulo, vini suavem odorem continuo hauriendi cupida, perpetuo impendisse ampullæ, quæ non tantum oleo, sed & aqua & vino aptum vas fuit, ut patet ex Martiale Lib. VI. Epig. 35.

At tu multa diu dicis, vitreisque tepentem
Ampullis potas semisupinus aquam.

Imperitis, inquam, hæc sufficerent; at longe aliter capient, quibus contigit immensis sapientiæ Burmannianæ opibus frui. Audite ipsum: „ Ridicule Trimalchio hoc se vidisse ait, cujus nemo veterum meminit: sed fabula forte fuit inter vulgum, Sibyllam ibi servari in ampulla oleo plena, ne putresceret. Nam ampulla

„ pro-

„ proprium olei vas erat, quod ex varia mate-
„ ria fiebat. Sed forte hæc vitrea fuit, ut po-
„ puli spectaculo ita exhiberi Sibylla posset ”.
Longe hæc sane abeunt a vulgi eruditorum explicatione. Videtis ibi mulierem servari in ampulla amphora plena, ne putrefceret, & tamen respondentem puerorum quæstioni ἀποθανεῖν θέλω, quod quomodo potuerit commode fieri, utinam etiam Burmannus nos docuisset. Haberemus certe quod opponeremus vituperantibus totam istam expositionem, & adfirmantibus, aniculam oleo ne putrefceret inclusam, nullam potuisse edere vocem, quin statim oleum ejus os & totum pectus fuisset impleturum.

Pag. 252. In narratione notissima de artifice vitrum flexibile reddente legitur *Jussit illum Cæsar decollari.* Ad quæ verba Burmannus ita commentatur: „ Nota temporis, quo Petronius scri-
„ psit. Hac enim voce, ut neque genere sup-
„ plicii caput ense amputandi, non utebantur
„ sub Augusto, sed vel Tiberii ævo, vel demum
„ a Caligulæ imperio, cœpit usitari; cum olim
„ securibus solebant noxios mactare hostiarum
„ ritu ”. Hæc clarissime dicta sunt *isto genere supplicii, caput ense amputandi, non utebantur sub Augusto*, &c. Etiamsi igitur Sichtermannus Dissertat: de Pœnis Militaribus animadvertit *ante Imperatores sæpius gladio in milites fuisse animadversum*, idque exemplis ex Hirtio posse comprobari dicit; atque etiamsi Florus dicit Lib. II. cap. 5. Legatos Romanorum ab

Illy-

Illyriis *ne gladio quidem*, *sed ut victimas*, *securi percussos* fuisse, confidite tamen Burmanno, quod rectum est docenti, & tempus, quo id supplicii genus cœpit usurpari, propius indicanti.

Pag. 256. *Revocaretur ad cœnam.* Inprimis utile est ad linguæ Latinæ cognitionem, quod ad ista verba adnotavit vir Romani sermonis inter primos gnarus: „ Plurima sunt verba, quæ ex „ particula ista *re* composita sunt, quæ signifi- „ cant aliquid denuo & iterato facere, ut *recine-* „ *re* Horatio Lib. III. Od. 27. *revincere* eidem „ IV, Od. 4. *repetere* Suet. Aug. 16. & 32. *re-* „ *poscere* eidem Aug. 42.” Licet vero merita viri incomparabilis in literas ingentia sint, magnus tamen iis cumulus accedit per ejusmodi observationes pulcherrimas. Vix quisquam est inter scriptores veteres, quin exempla præbere possit non pauca ad id confirmandum, quod hic docemur, unde certissimum esse, quod hic de particula *re* legitur, dubium non est. Nisi vero errare nescii auctoritas obstaret, multi putarent loca ex Horatio prolata longe aliud designare. *Recinere* enim priori loco dicerent sumtum e disciplina augurum, quibus *recinere* & *occinere* ominosa verba sunt, rerum suscipiendarum adversa vel prospera ab avibus earumque cantu, aut volatu, indicata significantia. *Revincere* autem alio isto Horatii loco contenderent poni pro fortiter vincere, sive plane, aut admodum vincere, ut in verbo *revincire* etiam vim istam animadvertunt, & isto sensu ajunt dici *manus*

post

post tergum revinctas; pro valde constrictas. Aut si isto argumento minus proficerent, dicerent forsan vocem istam omnino non legi apud Horatium IV., 4. quoniam pro *Catervæ consiliis juvenis revictæ* in editione Trajectina, quam supra jam indicavimus; legitur: *Catervæ consiliis juvenis repressæ*: At contineant illi se, quæsumus, postquam a viro eximio melius docti sunt.

Pag. 259. *Recitabantur jam nomina villicorum*; *& repudiata a circumitore liberta*, &c. Ad quæ verba, præter alia haud minus erudite quam acute cogitata, & hæc habet Burmannus: „ Malim *nomina*, pro ære alieno, quod villici, rem „ male administrantes, Trimalchioni conflave„ rant, accipere". Unde ipsi innotuerit, quod villici, male rem administrantes, æs alienum domino conflaverant; non addidit vir sagacissimus. Ex sola voce *nomina* scilicet totum negotium illi suboluit, tanta Critici est sagacitas. Quanto melius quam alii, modo in mentem venisset, idem potuisset observasse, *nomina* facile in *crimina* mutari, qua voce Petronio reddita, in tota re nihil difficultatis reliquum fuisset.

Pag. 261. Narratur puer Trimalchionis lapsus; & ipse Trimalchio, cum graviter ingemuisset, super brachium, tanquam læsum incubuisse, uxor ejus Fortuna inter primos accurrisse cum scypho, ut viro scilicet casu & clamore pueri consternato, quam citissime aquam adferret, aut vinum ad bibendum, ut solent facere homines subito & inopinato casu consternati, ut liberen-

tur

tur incommodo, & eo citius eorum animus redeat ad statum tranquillum. Ita quidem nobis videbatur capienda Fortunatæ officiosa sedulitas, donec auctoritas Burmanni intercessit, ita scribentis ad explicationem vocis *scypho* : „ Non, „ ut puto, ex quo potabant convivæ, sed in quo „ vel aquam, vel liquorem aliquem ferebant, „ qui læsæ parti mederetur. Nam inter supel- „ lectilem argenteam scyphos fuisse, ad alios „ usus, quam ut inde biberent, docet Plutarch. „ in Antonio, qui narrat, patrem Antonii jus- „ sisse aquam scypho adferre, ut raderet bar- „ bam ". Locus Plutarchi agit de Antonio Cretico, qui jusserat scyphum argenteum aqua impleri atque ad se ferri, non ut raderet barbam, sed ut amico cuipiam pecuniæ indigo illum donaret clam uxore; aqua autem irrigabat mentum ad fallendum puerum, quo ad aliud negotium ablegato aquam effudit, & amico scyphum dedit. Nec tamen dubitandum, quin scyphos ad barbam radendam adhibuerint veteres, quum illud satis superque auctoritate Burmanni constet.

Pag. 295. *Curris, stupes, satagis, tanquam mus in matella.* Quam scitum est posse etiam sese demittere ad minutias seculis futuris profuturas! Virum eximium, qui nil nisi aliis pene ignoratum ad exornandum digne Petronium contulit, hoc loco non tæduit suos docere, qua ratione rustici mures capiant, his verbis: „ Sata- „ gentem lepide comparat muri in matella de-

„ pre-

„ prehenso, qui, ut exeat, currit & satagit, sed
„ non expedire se potest; quod proverbium &
„ hodie efferre solent, *hæret ut mus in pice*: sed
„ elegantius in matella dixit, forte rustico pro-
„ verbio. Nam & hodie mures dispositis vasis
„ fictilibus circa granaria & horrea agrestes ca-
„ pere consueverunt, in quibus, cum exsilire
„ nequeant, vivi deprehenduntur „. Istius-
modi observationes juventutem certe recta du-
cunt ad eloquentiam, & ad alias artes, quibus
adolescentia ad virtutem conformari solet. Ob-
servandum quoque est, duas istas locutiones pro-
verbiales *Currit tanquam mus in matella*, & *Hæ-
ret ut mus in pice*, eandem significationem ha-
bere.

Pag. 296. *Molestare.* Verbum esse sequioris Latinitatis, degenerantis ab antiqua venustate, primo apud rusticos & plebejos usitatum, & postea etiam a scriptoribus usurpatum, inquit Stator ille literarum fugientium unicus. Frustra igitur sunt omnes verbi *molestare* patroni, Vossius, Cellarius, Borrichius, qui illud damnare non audebant, quod analogia minime obstaret, & multa ejusmodi verba essent, quibus lis nulla de jure civitatis movetur, ut *honestare* apud Ciceronem ab *honestus*; *infestare* & *manifestare* apud Virgilium ab *incestus*; aliaque apud alios. Habent illi quidem Auctores Scribonium Largum, qui sub Tiberio floruit, Composit. LXXI. Fragmentum veteris testamenti apud Modestinum

num memoratum Lampridio in Vita Alexandri Severi, & qui conſcripſit Argumenta ſingulorum librorum Georgicon & Æneidos, Reſponſor. Lib. X. habent & alios Auctores, præſertim Ictos, ne ipſius Petronii Fragmentum apud Fulgentium dicamus; verum, ut diximus, fruſtra ſunt, poſtquam Burmannus voci iſti notam cenſoriam adpoſuit.

Pag. 307. *Gaudimonio diſſilio.* In verbis iſtis exponendis elegantiſſimus interpretum *diſſilio* explicat per *rumpor*, ut ſit *gaudimonio rumpor*, quod quibusdam male inſtitutis in literis videbitur inſolens, non cogitantibus ſimiliter dici *invidia rumpi.* Præterea γνώμην, ut veriſſimam ita graviſſimam addit noſter. „ Ita lætitia oc„ cupat mentem & circumfundit, ut niſi erum„ pere liceat, periculum ſit, ne diſſiliat ". Quibus verbis, quæ noſtra eſt ſtupiditas, ullum ineſſe ſanum ſenſum, huc usque videre non potuimus, etiamſi diu quæſitum. Namque ſubſtantivum nominativo caſu ante *diſſiliat* non reperitur, neque ſciri poteſt utrum id incommodi eventurum ſit *lætitiæ* an *menti*, quorum alterutrum etſi reſpiciatur, non liquet tamen quid proprie dicatur. Ignoſcat doctor eximius noſtro ſtupori.

Pag. 309. Narrat Niceros libertus, ſe amaſſe Meliſſam Tarentinam, quam dicit ſe pluris feciſſe ob mores commodos, quam propter rem Veneream. Verba ejus in Fragmento Tragurienſi ita ſonant haud recte diſtincta, aut interpuncta, ut ibi fere ſolet: *Si quid ab illa petii, nunquam mihi negatum fecit. aſſem, ſemiſſem; ha-*

bui in illius sinum demandavi, nec unquam fefellitus sum. Homines non mali quidem, sed quibus acumen illud Criticum deest, putarent sese, distinctione mutata, sensum istorum verborum posse exsculpere, atque ita interpretarentur: „ Si „ quid ab illa petii, id nunquam mihi negatum „ fuit. Si peterem assem, aut semissem, illa „ dedit. In illius sinum si quando manum inse„ rere volebam, demandavi, non repugnavit, „ nec unquam fefellit me ". Scilicet illis videretur *in illius sinum* dici per aposiopesin, sive reticentiam, quasi dixisset Niceros: si quando volebam manum illi in sinum inserere, id semper concedebatur mihi, modo rogandi laborem non detrectarem. Nam cadentis Latinitatis vox, cujusmodi multæ sunt in Nicerotis sermone, censetur illis *demandare* pro poscere, sive rogare, unde ortum est Gallicum *demander* eadem significatione, quæque exstat apud Toletanum de Rebus Hisp. citante Du Cange: *Per legatos pacifice demandavit, ut recederet a finibus alienis*, &c. Alterum illud *in illius sinum* putant reperiri apud Terentium in Heaut. Act. III. sc. 3. vs. 2. *Vidin' ego modo te manum in sinum huic meretrici inserere?* Quid autem habet ista interpretatio, quo se commendet? Melius facit hoc loco acutissimus Burmannus, qui locum mutavit leviter, ut eundem e divite penu & literarum arcanis posset illustrare, hoc modo: „ Laborat locus pra„ va distinctione. Lege: *nunquam mihi nega„ tum; fecit assem, semissem habui.* Si caupona

„ illa

„ illa assem quæstu suo lucrata fuerat; se semis-
„ sem habuisse, & cum ea lucrum divisisse, ja-
„ ctat. *Facere assem*, ut *facere rem*, & similia,
„ de quibus supra. Neque tantum communem
„ cum illa pecuniam habuisse, sed & arcana sua
„ illa credidisse, dicit plebeja & insolenti locu-
„ tione, *in illius sinum demandavi*, *nec unquam*
„ *fefellitus sum.*

Pag. 319. Locus est de strigibus, seu magis, mulieribus maleficis, quæ dicebantur in aves mutatæ, aut invisibiles, id conari præsertim, ut comederent carnes hominum recens mortuorum. Istas mulieres *nocturnas* vocabant, ut ex ipso Petronio palam est. Eucolpius, postquam narratum erat, quid puero cuidam mortuo accidisset, ibi subjungit: *Pariter credimus*, *osculatique mensam rogamus nocturnas*, *ut suis se teneant*, *dum redimus a cœna.* Ex obstrusa eruditione petitum est, quod ad istum locum notavit ὁ περιβόητος: „ Hac precatione solemnia vertebant
„ infaustum occursum Lemurum, Larvarum, &
„ omnium nocturnarum imaginum; superstitio
„ enim illa valida invaserat olim, strigas, animos,
„ animas, & umbras nocte ex sepulcris & ipsis
„ inferis evolare, & vias infestare". Videtis quam egregie hæc congruant, & quam sint opposita ad Petronium illustrandum. Multa continent pauca ista, quæ ante Burmannum eruditorum nemini in mentem venerant; scilicet *Strigas*, *animos*, *animas*, *& umbras nocte ex sepulcris & ipsis inferis evolare.* Hæc plane nova sunt, ad *stri-*

gas & *animas* quod adtinet: quæ autem de *infe-ris* dicuntur, longe a vulgi cognitione remota ſunt. Ut vero videatis quanto in errore antea hæſerint eruditi circa hæc, ſciatis oportet, ſtriges aves inauſpicatas dici ſolere, quæ infantium in cunis lac ſugunt, ut ipſe Burmannus agnoſcit, & ex Ovidio oſtendit, pag. 318. qui inter alia de iis hæc habet:

Sive igitur naſcuntur aves, ſeu carmine fiunt,
Næniaque in volucres Marſa figurat anus.

Iſtas tamen Strigas, ſive anus in aves mutatas, nocte ex ſepulcris & ipſis inferis evolare docet. Porro quoque *animos* ex iisdem ſepulcris & inferis evolare dicit, ad vias infeſtandas. *Animas*, quas & *umbras* vocant, præſertim inſepultorum, paſſim oberrare, dixerunt veteres, nemo *animos*, qui inferos non ſubeunt, niſi quatenus illi animabus juncti etiam eſſent purgandi apud inferos. *Animus* enim eſt conſilii & voluntatis in homine moderator iſte ſpiritus, qui ſedibus æthereis venit, quod expreſſit egregie, ut ſolet omnia, Lucret. Lib. III. vs. 94.

- - - Animum *dico*, mentem *quem ſæpe vocamus*,
In quo conſilium vitæ regimenque locatum eſt.

Anima dicitur vita ſive ſpiritus animalis, atque etiam umbra ſive externa ſpecies corporis poſt mortem, unde illæ deſcendere ad inferos dicuntur

tur post mortem. Æneas apud Virgil. VI, 318, ait:

> *ô Virgo, quid vult concursus ad amnem?*
> *Quidve petunt* animæ?

Utrumque junxit Juvenal. Sat. XV. vs. 146.

> *Sensum a cœlesti demissum traximus arce,*
> *Cujus egent prona & terram spectantia. Mundi*
> *Principio indulsit communis conditor illis*
> *Tantum* animas, *nobis* animum *quoque, mutuus ut nos*
> *Adfectus petere auxilium & præstare juberet.*

Nonius Marcell. Animus & anima *hoc distant.* Animus *est quo sapimus*, anima *qua vivimus.* *Anima* igitur credebatur in umbram mutata subire terram, non *animus.* Et in eo errore diutius homines semidocti, tanquam in luto, obhæsissent, nisi Burmannus meliora docuisset. Restat videre, utrum *animæ*, sive *umbræ*, dicantur *evolare e sepulcris & ex ipsis inferis*, an e sepulcris tantum. Antequam Burmanni illustre sydus illuxerat, e sepulcris tantum, credebantur exire, nequaquam ex inferis, nisi si quæ forte nondum amnem Stygium trajecerant, atque adeo nequaquam ex *ipsis inferis.* *Umbræ*, quæ cum corporibus morari credebantur, *Lemures* dictæ sunt, quasi *remures*, a remorando, quales umbræ erant ante diem mortuorum, qui non-

 dum

dum justam accceperant sepulturam, quorumve manes nondum erant placati. Postquam autem justa erant debite peracta, atque ita animæ apud inferos receptæ, non dabatur inde reverti nisi post plurimorum annorum decursum, quando iis erat redeundem in vitam, sive in corpus aliquod humanum brevi nasciturum. Apposite Anchises, aut umbra Anchisæ, apud Virgilium narrat Æneæ in ipsa domo Plutonia, Lib. VI, vs. 743.

Quisque suos patimur manes. Exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus:
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum sensum, atque auraï simplicis ignem.
&c.

Elegantissimus Horatius quoque, Lib. I, Od. 24.

Quod si Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem;
Non vanæ redeat sanguis imagini,
Quam virga semel horrida,
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.

Atque alii veterum, quotquot sunt, ita loquuntur. Ut mirum non sit, homines a Burmannia-

na

na eruditione minus instructos nescivisse, *Striges, animos, animas, & umbras nocte ex sepulcris & ex ipsis inferis evolare.*

Pag. 333. *Nisi illa discumbit, ego me apocalo.* Hic denuo frustra sunt cum sua interpretatione homines male eruditi, qui in Burmanni castris non militavere. Audiamus primo qua de re agatur, deinde adscribamus illorum interpretationem, ac tandem ipsissima doctoris unici verba subjiciamus. Habinnas quidam rogat Trimalchionem, quare ejus uxor, nomine Fortunata, non una adcumbat; & ille respondet illam minime solere accumbere, nisi antea res suas domesticas curaverit. *At qui, respondit Habinnas, nisi illa discumbit, ego me apocalo.* Præter vocem ultimam omnia sunt clara & aperta. Illi putant, vocem esse Græcam ἀποκαλῶ, atque explicant: Etiamsi tu me vocaveris ad cœnam, nisi uxor tua una accumbat, pro non vocato me habeo; atque statim abeo. Quæ explicatio tanto magis placet illis, quia apud Petronium sequitur: *& cœperat surgere, nisi Fortuna quater amplius a tota familia esset vocata. Venit ergo, &c.* Et sane καλεῖν τινα, καλεῖσθαι ὑπό τινος, καλεῖσθαι πρὸς τὸ συμπόσιον, & similia passim occurrunt apud Græcos scriptores, quod Latini per *vocare*, ut notissimum est, exprimunt. Non negant quidem ἀποκαλεῖσθαι interdum usurpari pro simplici καλεῖσθαι, sed contendunt alia quoque ista significatione adhiberi vel apud Xenophontem. Similia etiam dicunt huic verbo multa alia, ut

 ἀπο-

ἀποσκέπω, retego quod fuerat tectum; ἀποσκευάζω, aufero vasa ante allata; ἀποσπαργανόω, fasciis exsolvo; ἀποβαδίζω, ἄπειμι, &c. Immo illi tuentur sententiam suam explicatione Mentelii, sive Tilebomeni, ad hunc locum; atque homines semi-Græcos, quales convivæ Trimalchionis erant, ab *apocalo* finxisse putant *Orcum Apocalonium*, pro Plutone, quem nemo vocat, aut arcessitum velit, pag. 311. Errorem tam gravem exemit Burmanni emendatio & explicatio. „ Scribendum (inquit) puto *apoculo*, verbo a „ poculis ficto, ut supra cap. 62. *Orcus Apoculanius*. Vellet tamen forte quis *apologo*, quo „ verbo utitur Seneca Petronio nostro æqualis „ Epist. XLVII. sed ego præfero *apoculo*, quod „ huic parti convivii accommodatum, jam enim „ comissabantur, & poculis indulgebant fere ebrii „ hi comissatores".

Pag. 338. *Si quid belli habes, adfer. Interim puer Alexandrinus cœpit luscinias imitari.* Verba priora sunt Trimalchionis ad familiam, petentis, ut aliquis adferret, aut faceret jucundum quid aut gratum convivis, quod & fecit puer Alexandrinus, imitans lusciniarum cantum. *Bellum*, inquit Popma de Different. Lib. I. *est lepidum, jucundum, quod commendatur venustate atque elegantia, quæ allicere & delectare quemvis possit, ut bella puella, bella epistola*, &c. Vulgaria ista ingenia contenta possunt esse tali explicatione. At vero Burmannus solus animadvertit, Trimalchionem „ proprie loqui de mensis secundis,

„ qui-

„ quibus *bellaria* inferebantur ", idque firmat loco Terentii, cui tuto Popmæ explicationem possit adscribere. Videmus igitur & hoc exemplo non esse cujusvis explicare & emendare auctores veteres. Libet igitur, ne merita laude defraudetur Burmannus, eum hoc loco laudare, non nostris, sed Martialis verbis, paululum modo mutatis:

Declamas belle, atque emendas omnia belle,
Historias bellas, carmina bella facis.
Componis belle mimos, epigrammata belle:
Bellus grammaticus, bellus & es criticus.
Nil bene &c.

Pag. 344. *Mirabar, inquam, nisi omnia ista defacta sunt, aut certe de luto.* Scilicet cum ferculum aliquod, in quo videbantur esse anser altilis, pisces, & omnia genera avium, esset illatum, Trimalchio dicebat: *Quidquid videtis hic positum, de uno corpore est factum.* Et propterea Eucolpius ad Agamemnonem conversus subjecit: *Mirabar*, &c. Nonnemo ex amicis nostris, homo haud illiteratus, verisimiliter contendebat, vocem *de facta* e duabus coaluisse vocibus, & intermediam excidisse; ideoque legebat: *nisi omnia ista de cera facta sunt, aut certe de luto.* Imagines enim ferculorum in secunda mensa interdum de cera factas docebat e Lampridii Heliogabalo c. XXV. *In secunda mensa sæpe ceream cœnam, sæpe eburneam, aliquando*

fictilem, *nonnunquam vel marmoream vel lapideam exhibuit*. Et ex Athenaei Deipn. Lib. VIII, 13. Κηρίνων ποτὲ ἐν τῷ δείπνῳ παρατεθεισῶν ὀρνίθων, *avibus cereis aliquando in cœna appositis*. Deinde vocem *certe*, hic positam pro *saltem*, manifesto ostendere dicebat vocem aliquam excidisse, quae solet in talibus praecedere, ut apud Ciceronem ad Atticum Lib. IX. Ep. 12. *Tum poterimus deliberare, non quidem integra re, sed certe minus fracta.* Et de Finib. Lib. IV, c. 3. *Res fortasse verae, certe graves, non ita tractantur.* Nos vero contra eum docuimus Burmanni eruditionem obstare, quo minus Petronius potuerit scripsisse; nam Heinsium jam dudum legisse *de cera ficta sunt*, quem frustra esse clarissime ostendimus eo, quod licet Burmannus Heinsii conjecturam ante oculos haberet, & una cum suis commentationibus ederet, tamen adscripserit: „ Forte scribendum *desarta*, verbo „ quidem raro, sed quod, ut mille alia, quae „ olim in usu erant, non superest apud scripto„ res ullos, quod sciam. Quod si non placet, „ legamus *deficta*; quo verbo lato aliquoties uti„ tur de pane depsticio. Hoc autem optime re„ spondet sequentibus, *aut certe de luto.* Nam „ si non *deficta*, id est ex opere pistorio essent, „ ex luto certe erant: nam de cera vel charta „ cogitare; quod semel modo iterumque factum „ legimus, non est verosimile. Et mihi Viri „ Docti saepe in eo nimii videntur, ut ubi quid „ insolitum, & quod forte non nisi semel fa„ ctum

„ ctum vel ſcriptum eſt, legerint, quærunt id „ ope intempeſtivæ emendationis, etiam aliis „ ſcriptoribus intrudere ". Quid ad hæc amicus noſter? Veneratus Burmanni ſingularem plane eruditionem, agnovit quidem ſe victum, ſed tamen neſcio quid obluctari conabatur: præſertim circa priorem doctoris egregii conjecturam *deſarta*, cui opponebat ipſius verbi inſolentiam, & Burmanni querelam, eadem hac annotatione, de libidine doctorum intrudendi ſcriptoribus voces, quas forte ſemel legerint. Quid, igitur, dicebat, dicemus de Burmanno *deſarta* legente, quæ vox nihili eſt, & nusquam legitur? Præterea *deficta* ſignificare *ex opere piſtorio facta*, ut vir eximius dicit, pernegabat, oſtendebatque apud Catonem Cap. LXXV. & CXXII. ſignificare longe aliud, ſcilicet farinam ſubactam aquâ in globi formam formare, aut illi ejusmodi formam dare manibus, quæ placuerit, antequam coquatur. Nos vero ſuaviter ridebamus hominem periculoſe Burmanno oppedentem.

Pag. 346. *Intraverunt duo ſervi, tanquam qui rixam ad lacum feciſſent*, &c. Vocem *lacus* varii interpretes variè qua explicarunt, qua emendarunt. Alii piſcinam, aut lacum balneo vicinum, alii vinarium lacum, interpretantur. Iſtis omnibus ſolus ſeſe Burmannus oppoſuit. „ In „ domo Trimalchionis (inquit) grande aliquod „ vas, ſive receptaculum, fuiſſe crediderim, ex „ quo ſervis amphoris vinum vilius hauriebant, „ quod familiæ miniſtrare deberent, cum domi-

„ nicum

„ nicum esset in apothecis & amphoris diligenter gypsatis. Ita autem dictum illud receptaculum ad similitudinem lacuum, qui in cellis vinariis & oleariis erant ". Docemur istis verbis, in grandi aliquo receptaculo vinum vilius fuisse servatum, unde servi hauriebant vinum, quod conservis ministrare debebant; atque ita servos bibisse vinum, licet aliquanto vilius quam quod domino ministrabatur. De tota ista ratione vinum amphoris hauriendi ante Burmannum nemo eruditorum ne per somnium quidem cogitaverat. Quare universa studiosorum cohors ingentes homini gratias debet; licet fatendum sit beneficium haud minus gratum fuisse futurum, atque illum grandius Minerval merito suo fuisse accepturum, si argumentis ac veterum auctoritatibus rem adeo inauditam firmare libuisset. Non tamen ita nudos nos dimittit acutissimus Burmannus, hoc modo adnotationem absolvens: „ Ex tali ergo lacu vinario vinum hausturi hi servi simulantur rixam fecisse. An vero vas illud, quod Romae videtur, & a Boissardo Tom. III. Antiq. cap. 145. conspiciendum exhibetur, sit lacus, ut dubitem, faciunt racemi vitium, quibus totum ornatur, quamvis urnam esse velit Gudius apud Gruterum. Sed ut judicent lectores, hic ex Boissardo exprimi curavi ". Operae sane pretium fecit vir diligentissimus, qui exhibuit urnam, ut Gudius vult, ex Boissardi Tom. III. non quidem capite, nam capitum distinctio ibi lo-

locum non habet, sed pagina 145. & ita exhibuit, ut quæ apud Boissardum dextra sunt, apud Burmannum sint sinistra. In eo tamen conveniunt, quod uterque exhibeat, ut solet urnis sepulcralibus titulus addi, hunc titulum:

DIIS MANIBVS
SACRVM
Q. MINVCLVS FELIX.

Idem illud vas inter urnas sepulcrales exhibuit quoque Montfalconius Antiq. Explic. Tom. V. Tab. XXXIII. accuratissime e Boissardo expressum, nisi quod ibi pro MINVCLVS legatur MINVCIVS. Unde sumserit Boissardus utinam nos docuisset; nam certe melius de vasis magnitudine nobis constitisset, quod forsan aliarum urnarum magnitudinem non excedit. Aldus in Ortographia p. 522. solum docet exstare in ædibus Capranicorum. Quidquid est, docet nos Burmannus lacui vinario fuisse inscriptum DIIS MANIBVS SACRVM, quod etiam ante illum nemini in mentem venerat. Si vero racemi vitium in urnis sepulcralibus ferendi non sint, lacus etiam vinarii sint oportet urnæ, quæ exhibentur apud Montfalconium Tomo eodem Tab. XXI. & XXV.

Pag. 352. Trimalchio *respiciens Habinnam: Quid dicis, inquit, amice carissime?* Homines ve-

venationi elegantiarum non adſueti poſſent putare illud *Quid dicis?* eſſe ſimpliciter dictum ab homine familiariter Habinnam compellante, niſi aliud doceret Burmannus. „ Hæc formula *Quid* „ *dicis* (inquit) occultam objurgationem conti-„ net, quaſi Habinnas in ædificando monumen-„ to nimis lentus eſſet, quod homini, jam mo-„ ri volenti; debeat eſſe paratum ". Utinam addidiſſet vir maximus exempla auctorum, *quid dicis?* tanquam occultam objurgationem adhibentium! Forte idem illud *quid dicis?* documento eſt, Trimalchionem jam ſerio voluiſſe mori; nam unde id alioqui Burmanno conſtiterit, non patet. Hominem ebrium veri funeris ſimulationem voluiſſe videre, e Petronio conſtat, & familiam ebriam veluti mortuum planxiſſe, quem bona fide non eſſe mortuum dolebat. Si quis igitur cuiquam dixerit, *quid dicis?* putato voculas iſtas *tacitam continere objurgationem.*

Pag. ead. *Quemadmodum te juſſi.* Inter Grammaticos multa lis hucusque fuit ſuper conſtructione verbi *jubeo*, quibusdam improbantibus quasvis formulas, in quibus occurrit *jubeo te* non ſequente infinitivo, aut *jubeo tibi*, quibusdam vero utramque formulam Latine adhiberi poſſe docentibus. Priorem ſententiam tuentur Munckerus ad Hygin. p. 276. Heinſius ad hunc Petronii locum Munckero ſuffragans, & alii non pauci, quos enumerare nihil adtinet. Burmannus ſecundum laudabilem ſuam conſuetudinem Heinſio obloquens hoc loco negat & pernegat,

ju-

jubeo te, ut facias Latinis auribus usitatum esse; & *jubeo tibi* summo jure extra fines Latii proscriptum. Multa ad suam stabiliendam opinionem undique congessit, ut alii, ante eum, jamdudum eidem firmandæ fecerant, ut tanto certius essemus de barbarie ita loquentium. Corruptus est igitur sine dubio Plautus, apud quem Panægyris ausa est dicere: *I, i intro, Dinacium: jube famulos, rem divinam mihi apparent.* Nihil tamen ad istum locum vel in postrema Gronovii editione annotatum legitur. Et refingendus Sueton. in Vesp. c. XXIII. *Nuntiantes legatos, decretam ei publice non mediocris summæ statuam colosseam, jussit, ut continuo ponerent.* Ferendus enim non est hic dicens: *Legatos jussit, ut ponerent*, nec ille *jube famulos, ut rem divinam apparent* usurpans nolente & improbante Burmanno. Quod vero adtinet ad alterum illud *jubeo tibi*, optimo jure in civitatem fuit receptum, donec Scioppius, Sanctius, Perizonius, in ea principatum obtinebant, ut videre est Minerv. Lib. II. c. 4. p. 183. nunc vero exulare cogitur Burmanno, puræ Latinitatis acerrimo vindice, vt postea videbimus, absque collega censuram agente.

Pag. 356. *TRIMALCHIO MÆCENATIANUS*] Ad ista verba Heinsius docuit, cur Trimalchio, homo vanissimus, in ficta ista inscriptione voluerit dici *MÆCENATIANUS*, quod scilicet in vita mores & vitam Mæcenatis secutus volebat videri. Idque exemplis poë-

poetarum, qui ab imitatione Virgilii *Virgiliani*, ab Ovidio *Ovidiani*, &c. demonstrat. Celeberrimus Burmannus longiori observatione Heinsii doctrinam adserit, & ea occasione explicat locum e Suetonii Tiber. c. LVII. hisce verbis: „ Ita „ interpretari licet sævum Tiberii apud Sueton. „ c. 57. jocum, qui Pompejo cuidam, equiti „ Romano, aliquid perneganti, vincla minans, „ *affirmavit fore, ut ex Pompejo Pompejanus fie-* „ *ret*. Id est, si vellet Imperatori obloqui, & „ ita sectam Pompeji pro republica tueri perse- „ verare, fore ut capite truncaretur ". Recte fecit sine dubio summus interpres veterum auctorum, quod sumpta occasione locum Suetonii adeo difficilem intellectu explicuit; idque eo magis, quod Phil. Beroaldi Commentarii in Suetonium nunc paucis tantum noti sint. Eundem vero Suetonii locum ita explicuit Beroaldus: „ *Ex* „ *Pompejo Pompejanus*.] Notum est Pompejanam factionem, Pompejanosque omnes, in- „ fensos fuisse Cæsari, Cæsareæque familiæ: „ quorum partim interfecti, partim in exilium „ missi sunt. Hinc Tiberius adludens ad nomen „ dixit, Pompejum illum, qui sibi adversabatur, „ futurum Pompejanum, hoc est iri ejectum in- „ terfectumve: sicut acciderat temporibus J. Cæ- „ saris Pompejis, sectatoribusque Pompejanæ fa- „ ctionis ". Felicem Beroaldum, cujus explicationem confirmat Burmannus! Nec enim dicendus est hic illius scrinia compilavisse, sed Beroaldus ante Burmannum dixit, quod in fatis

erat

erat a nemine præter unum hunc præstantissimum doctorem illustratum iri.

Pag. 365. *Animam abjiciet.* Schefferus explicat per seipsum spoliabit vita. Quæ explicatio, recta esse videtur & proba, quum & Virgilius Lib. VI. vs. 435. non alio sensu dicat: *Lucemque perosi Projecere animas.* Sufficere ista quoque potuisset videri ad locutionem satis notam & minime obscuram illustrandam, si Burmanno hoc loco accuratius philosophari non libuisset, hoc modo: „ Non inepta hæc locutio: *Ex-„ pellere alicui animam* Ovid. Met. VI. vs. 617. „ *Exuere animam* idem XIV. 777. dixit. Ita „ & *linquere animas* Virgil. III. Æneid. 140. „ quarum locutionum rationem reddit Servius, „ quod anima sit perpetua, & transeat ad diversa „ corpora, secundum Pythagoreos. Sed nescio „ cur non, salva eadem sententia, anima nos „ relinquere dici posset, quæ corpus, quod so-„ lum est nostrum, ut illi ajebant, destituit, & „ ideo nos relinquit, & in alia corpora transit: „ quare nimis acutum Grammaticum fuisse puto. „ Certe non dubitavit contraria locutione uti „ Cornelius Nepos Eumen. c. 4. *Non prius di-„ stracti sunt, quam alterum anima relinqueret.* „ Cæsar quoque Lib. VI. de Bell. Gall. c. 38. „ non quidem de morte, sed de virium defectu, „ qui imago est mortis, dixit *Animus reliquit* „ *Sextium* ". Rectissime & acutissime philosophatur vir in paucis veteris philosophiæ universæ peritus; & Servius, si viveret, magno emtum

vellet se nunquam ita scripsisse. Grammaticastri forsan objicerent per *animam* intelligi vitam, aut spiritum vitalem, qui dicitur *expelli*, *abjici*, *exui*, si ferro, ant laqueo, aut vi quacunque alia e corpore abigatur, quod secus sese habet in morte non voluntaria; ut apud Nepotem in loco prolato Craterum ducem *anima relinquit*, ille eam non expulit tanquam invitam. Quod si ejusdem sint potestatis locutiones, apud Nepotem salva sententia eadem legi posset: *quam alter animam relinqueret*, quod verum esse negant. Iidem quoque ajunt locum e Cæsare omnium minime eo pertinere, ubi Sextum Baculum, qui diem tum quintum cibo caruerat, gravibus acceptis vulneribus animus reliquit, quod interpres Græcus bene effert per ἐλιποψύχησε, i. e. animi deliquium passus est. Clamant præterea *animam* atque *animum* longe diversa significare, nec *animum* unquam pro ipsa vita, aut spiritu vitali accipi. At illi sua sibi habeant, nos sane ut in omnibus etiam hic Burmanni auctoritatem sequimur; nec addendum quidquam amplius censemus illis, quæ supra jam sunt annotata.

Pag. 366. *Fortunata, ut ex æquo jus firmum adprobaret, maledicere Trimalchioni cœpit.* Audite Burmannum pro more suo erudite illud *jus firmum* explicantem: „*Jus firmum* (inquit) *ap-* „ *probare*, est ostendere & persuadere convivis, „ sibi non licentiam maledicendi usurpatam, sed „ illo mariti sui facto indecoro jus certum & fir- „ mum conviciandi esse quæsitum”. Et qui-

bus

busdam interpositis: „ *Firmum* autem *jus* est, „ quod ipso actu ostendebat sibi *firmum* compe- „ tere". Veremur, ut *jus* illud *firmum* inveniri possit ita usurpatum apud bonos scriptores, præterquam a Burmanno solo, qui tamen loca ex iis ad *jus firmum* confirmandum protulit nulla. Erunt forsan, qui dicent mirum esse, quod sagacissimus conjector non viderit locum, ut multa alia in isto Fragmento, esse corruptum, & legendum esse. *jus suum. Fortunata, ut ex æquo jus suum adprobaret*, &c. Eleganter enim ita veteres locutos fuisse autumant. Terent. Adelph. II, 1, 47.

Verum enim quando bene promeruit, fiat: suum jus postulat.

Ibid. vs. 9. *Ego meum jus persequar.* Hec. II, 2, Ep. 2. *Etsi scio ego meum jus esse.* Cic. Fam. XII, Ep. 2. *Respublica per vos brevi tempore jus suum reciperabit.* De Orat. Lib. I. c. 51. *Virtus tamen jus suum tenere debet.* In Verr. Lib. I. c. 26. *Philodamus jus suum obtinere non potuit.* Et multis aliis locis, tam apud Ciceronem, quam alios non minus probatos scriptores, nisi forte ubique *jus firmum* e Burmanni sententia sit legendum, quod tamen nunquam faciet, ut videre est ex ejus observatione ad finem Cap. LXXVIII.

Pag. 369. *Curabo domata sit Cassandra caligaria.* Convicium est Trimalchionis cum uxore li-

tigantis. Cassandræ semper vaticinanti calamitates & adversa quævis Trojanos fidem nunquam habuisse, sed tanquam garrientem & delirantem contempsisse vaticinia ejus vel pueri norunt. Virgil. Æneid. Lib. II. vs. 246.

Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, Dei jussu non unquam credita Teucris.

Cui adde Propertium Lib. III. Eleg. XI. vs. 61. Ovid. Epist. Oenon. vs. 112. & quos non? Res enim est notissima. Odiosissimam oportet fuisse mulierem, quæ mala vaticinandi finem non faceret, & annuntiàndo perpetuas calamitates Trojanorum securitatem interrumpebat. Ideo Trimalchio per convicium uxorem suam Fortunatam sibi molestam linguæ intemperantis proterva loquacitate, & facinora haud laudabilia sibi occinentem, *Cassandram* vocavisse videri posset, si summi viri judicium longe aliud nos sentire non juberet. Operæ sane pretium est viri experientissimi de hoc Petronii loco, atque adeo de mulieribus universis, verba auro contra cara audire: „ Nihil (inquit) nobis constat de hac Cas-
„ sandra, quæ forte in illa colonia tam nobilis
„ erat viri sui domitrix & imperiosa mulier, &
„ cujus nomen ita fuerit celebratum, ut abierit
„ in omnium simili ingenio mulierum titulum;
„ quam laudem quoque olim Tanaquil, Xan-
„ tippe, & aliæ illustres heroinæ retulerunt,
„ quarum, ô Jupiter! utinam omne genus per-
„ iisset,

„ iisset, neque hodie tot superessent Margaretæ,
„ quæ Cassandris illis dubiam palmam facerent.
„ Non mirum autem hujus Cassandræ res domi
„ bellique gestas, & parta de viro misero & qui

„ *Stulta maritali porrexerat ora capistro*,

„ tropæa, memoria exeidisse, cum in non tam
„ illustrem regnaverit maritum, ut Xantippe &
„ aliæ: caligaria enim erat & caligas faciebat, &
„ vendebat". Euge, bene! Quam erudite magnus vir Cassandram istam municipalem invenit! quam belle descripsit mores mulierum viris imperantium! Scilicet una ea est ratio ulciscendi injuriam domesticam maritis relicta, ut in scriptis saltem veritatem audeant proloqui, & quidem Latine, ne mulieres intelligant, quarum sandaliis illi passivam obedientiam præstant.

Pag. 373. Ad vocem *peculium* multa singulari eruditione congessit Burmannus. Nihil tamen dignius observatu, quam quod docet *Præsidium proprie dici paratam pecuniam.* Nos sane noveramus jam dudum, in parata pecunia esse præsidium, & quidem grande; verum ipsam pecuniam paratam proprie *præsidium* dici, tota vita ignorassemus absque Burmanno si fuisset.

Pag. 381. Dicit futilis ille Trimalchio: *Sustuli me de negotiatione, & cœpi libertos fœnerare.* contendunt quidam, inter quos & Heinsius, legendum: *Sustuli me de negotiatione, & cœpi per libertos fœnerare.* Cum, inquit Trimalchio, plus ha-

habere cœpi, quam tota mea patria habet, nolui diutius esse mercator, & cœpi exercere fœnus, non quidem ipse, quod infra tanti viri dignitatem erat, sed per libertos; quod ut facerem exoravit me Mathematicus. Sensus ita est clarus, planus & apertus: & ea explicatio videtur Heinsio placuisse. Burmannus autem, qui Heinsio omnium libentissime obloquitur, minime contentus ista explicatione, dicit: „Commodo sensu retineri potest Traguriensis codicis scriptura „ *libertos fœnerare*. Nimirum jam dives factus, „ ex fructibus & annuis reditibus beate satis & „ facillime cum posset vivere, servos plurimos „ manumittere cœpit, & ita *libertos fœnerare*, „ ist est, acquirere, lucrari, sibi obnoxios & „ devinctos reddere. Gloria enim magna erat „ tam benigni ingenii esse, ut libertatem miseris illis non invideret". Heinsius igitur, & alii isti, dederunt sese turpiter cum suo *per libertos fœnerare*, ignari scilicet Latine dici, *libertos fœnerare*, *id est acquirere*, *lucrari*, *sibi obnoxios & devinctos reddere*. Vos autem, qui vestro Burmanno confiditis, adscribite statim novæ Latinitatis novam formulam reliquis observationibus Herois, quas diligenter soletis enotare, ut & vestra oratio & eruditio inde colorem ducant.

Pag. 382. *Et sane nolente me negotium meum agere exoravit Mathematicus.* Hæc cohærent cum superioribus, & videntur non minus plana aut intellectu facilia. Cum ego jam ditissimus nollem majores divitias acquirere, exoravit me Mathe-

thematicus, ut fœnerando per libertos promoverem res meas, utque ea ratione divitias cumularem divitiis. Cavete tamen, ne hæc ita esse putetis, ô boni. Vetat doctor unicus hisce verbis: „ Hiulca certo oratio est, sed similia jam „ toties in hac cœna vidimus, ut frustra in iis „ emendandis sudemus, quamvis in promtu sint „ etiam optimorum auctorum exempla, ubi his „ ablativis, ut vocant, absolutis non respondet „ sequens verbum". Nos sane, etiam misere terendo oculos, orationem hiulcam ibi videre non potuimus. Tantum præstant aliorum oculis oculi Criticorum! Plane ut Quichotius iste eques errans ubique videbatur sibi videre gigantes domandos, aut Orestes mente motus quod nusquam esset, sic hoc tempore eruditorum & semieruditorum natio quædam corrupta auctorum loca nusquam non videt. At hæc Burmannum, istorum eruditorum principem, minime tangunt. Ille vidit orationem esse hiulcam: ergo hiulca est. Nec quis putet se intelligere auctores veteres, nisi intelligat, ut idem ille Burmannus, qui ne nunc quidem nos ab hoc loco dimittit, sed jubet & sequentia addiscere: „ *Exoravit* autem „ *Mathematicus*, prædicendo nimirum futura „ damna, naufragia & similia". Reconditos libros quosdam vulgo ignotos habeat oportet, e quibus talia didicit; nam Petronius id nusquam dixit. *Exoravit* enim Mathematicus Trimalchionem, ut per libertos fœneraret. Verum ita locum

cum hunc non cepit vir, qui unus omnia sagacius odorat quam canis.

Pag. ead. *Græculio*. Schefferus, Reinesius & Heinsius vocem *Græculio* esse corruptam putant; verum Burmannus *non ausus fuit movere vocem, quam Trimalchio formare potuit pro more suo diminuendi vocabula etiam jam a primitivis hac forma deducta.* Etiamsi sciebamus a *deminutivis* (nam diligentius vocis originem spectantes *deminutiva* scribunt, non *diminutiva*) alia interdum deminutiva derivari, ut *porcellus* a *porculus*, a *cistula cistella*, &c. perpetuo ignoravissemus *Græculio* ulla ratione deminuendi formari potuisse a *Græculus*, nisi id docuisset Burmannus, cui propterea nos debere Minerval ultro fatemur. Id certe si novissent ante aliquot annos infruniti homines acriori animo quam eruditione in eum insurgentes, a *Petro Petrullum* non formassent, sed aptissime eum *Petrulionem* nominassent, quoniam eadem est ratio in voce *Græcus*, *Græculus*, *Græculio*, atque est in *Petrus*, *Petrulus*, *Petrulio*. Ceterum pro *Græculio*, *Serapa nomine*, nonnemo inter Criticos malebat legere *Græculus*, *Satrapa nomine*, nescius, judice Burmanno, vocem ignorabilem *Serapa* repudiandam non esse.

Pag. 384. Trimalchio adhuc de eodem loquens Mathematico addit; *Hoc mihi dicit fatus meus*. Solent homines isti semigræculi apud Petronium uti sermone vitiosissimo, adeo ut *fatus* dicant pro *fatum*, ut Capite XLII. *Perdidit illum malus fatus*, pro *malum fatum*. Ubi viri docti obser-

servant *cœlus*, *vinus* apud Petronium, Burmannus *hunc sepulcrum*, *hunc monimentum* in vetustis lapididibus non raro reperiri. Putares igitur nihil difficultatis superesse; verum Criticus aliud censet. „ Hoc tamen loco (inquit) mallem *fatuus* „ *meus*, quod magis ad Satyricam acrimoniam perti- „ net, ut simul Petronius stultitam hujus artis in- „ dicet. *Fatuos* enim divinos & conjectores dici, „ nemo humanioribus literis imbutus ignorat". Ideo scilicet, quod vel Lexica id doceant e Varronis de L. L. Lib. V. quem etiam firmandæ sententiæ adhibet Burmannus, ablegans lectorem ad Scaligeri Conjectanea in Varr. Haud pauca ibi profert Varro de verbo *fari* atque inde derivatis vocibus, nec tamen innuit *Fatuos divinos & conjectores dici*. Immo *fatuos* vocat pueros, qui jam *fantur*, i. e. *significabilem ore emittunt vocem*, ut ipse Varro ibidem loquitur. Id quoque addit: *Qui futura prædivinando solent fari, fatidici dicti.* Jos. Scaliger ad postrema verba dicit, *fari* interdum significare τὸ προφητεύειν. Et id sane docent loca ex Ennio & Virgilio ibi prolata. At pergit Varro: *Fatidici iidem dicti. sunt vaticinari, quod vesana mente faciunt. Sed de hoc postea erit usurpandum, cum de poëtis dicemus.* Quibus verbis hæc allevit Scaliger: „ *Fatuos* primum vates vocatos esse, postea pro „ vesanis accipi, apud omnes constat". Nec aliud addit, quo fidem sibi conciliet. Quid Burmannus? Ultima Sciligeri verba περιφράζει per *nemo humanioribus literis imbutus ignorat*. Nos

 vero

vero ſimplices merito iraſcimur magnis iſtis literarum Heroibus, qui negligunt idoneis teſtibus quæ dicunt probare, quod putent ſua tantum auctoritate opus eſſe ad opinionem, ſententiam, aut lectionem ſtabiliendam. Sic eſt quidem; verum melius nobis conſultum putaremus, ſi unum aut alterum locum e probato ſcriptore prolatum adderent. In hunc usque diem enim putavimus, *fatuos* dici homines ejusmodi, quibus mens non omnino quidem eſt mota, ſed tamen eo usque turbata, ut dubium ſit utrum ſenſu communi præditi ſint nec ne. Lepidiſſime mulierem *fatuam* verbis depinxit Seneca Epiſt. L. pag. 121. edit. Gron. cujus verba adſcribemus, ut quid nos maxime in errorem induxerit, oculis omnium pateat. *Harpaſten*, inquit, *uxoris meæ fatuam, ſcis hæreditarium onus in domo mea remanſiſſe; ipſe enim averſiſſimus ab iſtis prodigiis ſum. Si quando fatuo delectari volo, non eſt mihi longe quærendus: me rideo. Hæc fatua ſubito deſiit videre. Incredibilem tibi narro rem, ſed veram: neſcit ſe eſſe cæcam: ſubinde pædagogum ſuum rogat, ut migret, ait domum tenebroſam eſſe.*

Pag. 385. *Quod ſi contigerit fundos Apuliæ jungere, ſatis vivus pervenero.* Docuit nos amicus quidam medii ævi quæ vocant monumentorum lector diligens, *Pervenire* interdum in iis poni pro divitem fieri, aut diteſcere; idque dicebat facile patere etiam minus doctis e libello Franciſci Beroaldi, cui titulum auctor fecit *Methodum perveniendi*, quod eſt *diteſcendi*; atque e

for-

Formulis Gallico-Latinis *Ille jam pervenit*, *vos nunquam perveniatis*, id eſt, *ille jam dives eſt factus*, *vos nunquam divites fietis*, aliisque, quæ e Gallicis Lexicis poſſunt peti. Dicit igitur Trimalchio ſe, vivat modo, ſatis divitem futurum, ſi contigiſſet fundos, quos per Apuliam ſparſos poſſidebat, jungere. Ingenioſiſſima eſt tamen Heinſii conjectura, *ſi ad HS* (id eſt millies ſeſtertium) *vivus pervenero*, quæ utinam uni Burmanno in mentem veniſſet! Rationem aliquam reperiſſet præſtandi eam veram, quam nunc, quia Heinſii conjectura eſt, quærere non eſt dignatus. Illud autem *vivus pervenero* videte quomodò explicet: „ Vivus pervenero (inquit) ex „ communi formula videtur ſumtum. Virgil. „ Eclog. X. . . . .

„ *O Lycida, vivi pervenimus, advena noſtri*
„ *Quod nunquam veriti ſumus, ut poſſeſſor agelli*
„ *Diceret: Hæc mea ſunt, veteres migrate coloni* ".

Eadem verba *vivus pervenero*, & *vivi pervenimus*, ſunt utrobique; verum quid ſignificatio hujus loci atque illius commune habeant, id vero hucusque perſpicere non potuimus. Sonant idem, non ſignificant. Virgilii locus facilis eſt intellectu; in Petronii loco, niſi ab amico noſtro auxilium petiviſſemus, nihil cernere potuiſſemus. *Nos pervenimus vivi eo, ut poſſeſſor advena agelli noſtri*

nostri diceret &c. Id est, eo redacti sumus, eo res nostræ redierunt. Scilicet eleganter interdum *eo* omittitur, ut apud Ovid. Trist. III, 5, 31.

Quo quis enim major, magis est placabilis iræ.

Pro *eo magis est placabilis iræ.* In Petronii loco oratio non potest suppleri per *eo*, quod *ut* aut alia vox istam vocem desiderans non sequatur. Petimus igitur a Burmanno, ut, si Deus ei concesserit vitam longiorem ad Petronium edendum, secundis curis, quæ solent dici sapientiores, amici nostri explicationem amplecti velit, aut clarius explicare, quid significet *satis vivus pervenero.*

Pag. 387. *Habes, habeberis.* Difficultatis nonnihil videntur istæ voces habere. Observat eximius Burmannus, *habes* hoc loco poni pro dives es, & duobus aut tribus locis auctorem veterum prolatis, quamquam in re notissima, docet vera esse quæ dicit. At illud *habeberis*, in quo tamen plus difficultatis est, non tangit. Nemo mortalium æque omnibus horis vigilat. Attendisset Burmannus, vidisset certe legendum esse. *habes, habebis*, sensu plano & perspicuo; nam qui dives est, facile fit ditior, & habenti dabitur. Nisi forte hoc loco obstitit religio mutandi aliquid, quod in Cod. Tragur. legitur, quæ tamen interdum non prohibet, quo minus urat & secet.

Pag. 391. Encolpius cum Ascylto & Gitone

qua

qua ratione nocte intempesta e domo Trimalchionis fugiens per tenebras viam invenerit, narrat his verbis, ut quidem ea leguntur a Francisco Danielis emendata: *Tandem explicitâ acumine Gitonis sumus. Prudens enim pridie, quum luce etiam clara timeret errorem, omnes pilas columnasque notaverat cretâ, quæ liniamenta evicerunt spississimam noctem, & notabili candore ostenderunt errantibus viam.* In istis Encolpii verbis nihil difficultatis deprehendissemus, nisi provida cura eruditorum virorum tenebras offudisset. Scilicet Burmannus rejecit *notaverat creta, quæ liniamenta*, & edidit: *notaverat, certaque liniamenta &c.* qua lectione id efficitur, ut opus sit explicatione. At igitur vir perspicacissimus: „ Gitona, cum pridie intrasset, notasse, id est „ oculis diligenter observasse pilas & columnas in „ viis, ad quas iter dirigeret. Ita notare sæpius „ occurrit. *Certa* vero liniamenta sunt, quæ „ non fallere poterant, quia pridie notaverat, „ &c". Hactenus egregie; verum ingenti nos beneficio beavisset Burmannus, si docuisset, quum *creta, quæ* hic locum suum tueri non possit, nec debeat, quid sequentibus faciendum sit, quæve *liniamenta notabili candore ostenderunt errantibus viam.* Legimus de *liniamentis*, & quidem *notabili candore* viam in tenebris ostendentibus; at cretâ facta non erant. Nullus enim dubitandi locus superest, postquam Burmannus vocem *creta* hinc exulare jussit. Suademus igitur literarum studiosis omnibus, ne *creta*, sive albo la-

pil-

pillo, hanc emendationem notent. Nondum tamen nos ab hoc loco dimittit vir summus. „ *Pilæ* erant (inquit) turriculæ & columellæ in „ viis publicis, quibus adfigebant venalium in „ domo mercium indicia. Martial. Lib. VII, „ Epig. 60. " Male sit semieruditis illis, qui nos docuerunt, *pilas* fuisse lapides utrimque in via ita dispositos, ut spatium in medio superesset, quo curribus, carris, bobus, equis, aliisque animalibus esset eundem, idque lapidibus stratum non fuisse; verum hinc atque inde spatium fuisse a domibus ad pilas porrectum, lapidibus stratum, quo homines incederent: institores autem non tantum in tabernis merces venales proposuisse, sed etiam ad pilas, quo facilius prætereuntes allicerent hinc ad pilas, inde ad domos, immo non raro totum pene spatium occupasse, quod inter domos erat & pilas. Ista omnia dicebant clarissime disci posse ex eodem Martialis Epig. quod nunc Burmannus citat ad suam quoque sententiam stabiliendam. Ut quivis lector hanc cognoscere causam posset, ecce jam indicatum Epigramma integrum:

AD CÆSAREM DOMITIANUM.

Abstulerat totam temerarius institor urbem,
Inque suo nullum limine limen erat.
Jussisti tenues, Germanice, crescere vicos:

Et modo quæ fuerat ſemita, facta via eſt,
Nulla catenatis pila eſt præcincta lagenis:
Nec prætor in medio cogitur ire luto.
Stringitur in denſa nec cæca novacula turba,
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonſor, caupo, coquus, lanius ſua limina ſervant:
Nunc Roma eſt, nuper magna taberna fuit.

Eodem referebant Horat. Serm. Lib. I, IV, 71.

Nulla taberna meos habeat neque pila libellos.

Quam improvide, ne quid gravius dicamus, indicat Burmanni obſervatio.

Pag. 392. Per cauſam explicandi diligentius verſiculos nequam, corrigit vir magnus locum Propertii Lib. II. Eleg. 13, vs. 17.

Et cupere optatis animam deponere labris.

Conjicit enim ſcribendum *aptatis labris*, id eſt, inter ſe connexis. Fugit ſingularis iſta elegantia omnium interpretum, & inprimis acre Broukhuſii ingenium. Immo ſi jam *aptatis* legeretur, eruditiores, qui fonte Burmanniano labra non proluerunt, reponerent ſine dubio *optatis*, id eſt deſideratis, cupitis, ſive amatis *labris*. Licet tamen ad normam eandem refingere Virgil. Æneid. Lib. VIII, vs. 405.

Ea

Ea verba locutus,
Optatos dedit amplexus: placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.

Aptatos sane propius ad rem faceret, & designaret in isto amplexu os ori, femur femori, alia membra aliis hæsisse, cognata cognatis. Lepidissime sine controversia!

Pag. 396. *Inter hanc miserorum dementiam.* Ad ista verba legas a Burmanno notatum: „ *Miseros* vocabant Latini scelestos, & ideo infelices. Vid. Passerat. ad Propert. II. Eleg. 28, „ pag. 362. & alibi ". Novum id est, & ambabus manibus amplectendum. Quis vel fando unquam audivit, Latinos scelestos vocasse *miseros*. Mille locis apud quosvis probatæ Latinitatis auctores occurrit *me miserum, ego miser, eheu nos miseros*, &c. Nec tamen usquam *miser* scelestum significat, nisi forte quis misericordia conditionis hominis motus scelestum vocet *miserum*, non respectu sceleris, sed respectu conditionis humanæ, idque per Gallicismum, quum Galli *malheureux* pro scelesto dicere sint soliti. Neque ipse Passeratius, ad quem nos ablegat vir magnus, vel unum protulit exemplum tuendæ sententiæ. Scilicet Passeratius, explicat hunc Propertii versiculum:

Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas,

dicit,

dicit, *miseras* ibi posse significare vel infelices, vel sceleltas, vel esse commiserantis, vel esse hypallagen pro *misere perdidit*. Ubi certe quas *scelestas* dicit, Gallico idiomate *les malheureuses* exprimeret. Fides tamen est habenda viro exercitatissimo; qui sane aliunde potuit didicisse istam vocis *miser* pro scelesto significationem.

Pag. 397. *Attulissem mihi damnatas manus.* Clarissime Burmannus explicat, quid Encolpius voluerit significare, cum suas ipsius manus vocaret *damnatas*. Nos tamen nondum possumus intelligere, quid verba viri præstantissimi velint. Judicent alii: „ *Damnatas*, inquit, eleganter „ manus vocat, quia hac sententia Gitonis gau„ dio suo erant privatæ, & ita damnatæ, quas „ modo ebrias in pertractatione impudica ami„ serat". Quæ postrema verba, in quibus videtur omnis latere difficultas, sumpta sunt ex ipso Petronio, seu ex ipsius Encolpii verbis, paulo ante prolatis: *Quum solutus mero amisissem ebrias manus*; id est, quum vino depositus manibus uti non valerem, neque pede scilicet, neque manu, ut ille dicebat, officium faciente; quæ qua ratione ad *pertractationem impudicam* pertineant, aut quomodo alio sensu, quem tamen Burmanni oratio videtur illi affingere, *manus ebriæ* dici possint *amissæ* non non videmus.

Pag. 397. *Nomen amicitiæ si, quatenus expedit, hæret.* Nec iste versiculus prioribus eruditis visus est habere quid difficultatis. *Nomen ami-*

micitiæ explicabant per *ipsa amicitia*, quod fieri solere eleganter exemplis docuerunt Barthius & Erhardus. *Hærere* autem pro firmum, stabile, aut immotum esse, ut sæpe apud optimos quosque scriptores positum videbatur. Cicero non uno loco memoriam sui consulatus *hæsuram in animis* Romanorum prædicat. Et ad Attic. Lib. VI. Ep. I. pag. 575. ed. Græv. Ἐγκελεύσματα *tua mihi in visceribus hærent*. Ovid. Metam. Lib. III, 395. de Echo:

> *Sed tamen hæret amor, crescitque dolore repulsæ.*

Ut prætermittamus loca multa alia, quum nemo fere sit veterum, qui non ita loquatur. *Nomen amicitiæ* &c significaret igitur, *Si amicitia firma est, aut manet, quatenus expedit*, nec cuiquam in eo aqua hæreret, nisi Burmannus erudite intercederet, vetans ita intelligi. „ Intri„ catior (inquit) est sensus hujus Distichi. Scio „ *nomen amicitiæ* multis, & Ovidio etiam & no„ stro, infra dici, sed qua ratione *hærere* dici „ posset, vix capio. Quare forte scripserit Pe„ tronius:

> „ *Nodus amicitiæ si, quatenus expedit, hæret.*

„ Sensus jam apertus; si vinculum amicitiæ mo„ do hæret, quatenus est utile, non est amici„ tia, &c.". Capite igitur quisque cito suum exem-

exemplar, & mutate *Nomen* in *Nodus*, quod necesse est, quia doctor ille magnus jussit; nec enim *nodum* in scirpo, sed in *nomine* quæsivit, & certe reperit. Et in ipso Ovidio, quem tamen in partes vocat, *nomen amicitiæ* ferre non potuit, sed & ibi *nomen* mutavit in *numen*.

Pag. 328. *Quum fortuna manet, vultum servatis amici.* Ex peritissimis eruditionis reconditæ thesauris sumtum est, quod ad ista verba notavit Burmannus, & fere *nodo hærenti* conferendum. „ Fortuna (inquit) fingitur vulgo lu„ brica & stans in orbe. Ovid. De Ponto II. „ Ep. 3. vs. 36. quare illa *manere* proprie vix „ dici posset. Sed & alteram coluere veteres „ *manentem* & constantem. Ita in nummis Im„ peratoris Commodi legitur apud Tristanum „ Tom. I. p. 401. FORTVNÆ MANEN„ TI ". Discite igitur, dum potestis, *Fortunam alteram*, quæ non stat in orbe, sed manet in uno loco certa & tenax, *veteribus cultam* fuisse, contra cavillationes sciolorum. Illi enim volunt Fortunam, deam illam fronte capillata ubique eandem esse, sed meruisse ut coleretur, si longo tempore se alicui stabilem & manentem præbuisset. Sic Horatius dicit, *se laudare manentem Fortunam*, id est, si manserit, aut non cito avolaverit; nam addit, se resignare omnia, quæ illa dedit, *si quateret celeres pennas*, id est, avolaret. Nec aliam rationem dicunt esse nummorum, in quibus FORTVNÆ MANENTI legitur: scilicet, Fortunæ istum honorem habi-

 tum,

tum, quod maneret, & non desineret favere. Opponet forte Burmanno Boëtii verba e Lib. II. *At, omnium mortalium stolidissime, si manere incipit, Fors esse desistit.* Quod si tamen Fortuna manens diversa sit a volubili ista dea, non duas, sed quamplurimas Fortunas diversas fuisse volunt, quoniam, tam in lapidibus veteribus, quam nummis occurrit: *Fortunæ Adjutrici, Fortunæ Augustæ, Fortunæ Omnipotenti, Fortunæ Conservatrici, Fortunæ Obsequenti, Fortunæ Reduci, Fortunæ Respicienti*; quæ omnia, multa alia Fortunæ adtributa mittamus, unius stantis in orbe deæ epitheta esse, clamare non desinunt.

Pag. 400. *Grex agit in scena mimum.* Ad ista verba Burmannus notat: „ *Gregis* nomine me„ rito colluvies illa vilissimorum hominum insi„ gnitur ". Et post inscriptionem lapidis antiqui e Grutero adscriptam: „ Græce honestius „ vocabant Σύνοδον ". Docent nos ista, vocem *Gregis*, positam ad actores scenicos denotandum, habere convicium, & merito dari colluviei hominum vilissimorum. Atqui ante hanc Burmanni observationem nos putabamus in voce *gregis* pro scenicis actoribus posita nihil neque turpitudinis, neque convicii inesse. Plautus, Terentius, aliique scriptores veteres omnes, vocabulo *gregis* artifices scenicos designant, etiam cum maxime eos laudare volunt, non aliter atque consules, prætores; ædiles, pontifices, suis vocabulis adpellantur. An in nostra Anglorum lin-

lingua *A company of stage-players*, aut in Gallorum *Une troupe des comediens*, aliquid turpitudinis ad designandum hominum vilissimorum colluviem habet? Quod si Burmannus Anglos eruditos minus odisset, atque per ferias ad nos excurreret, faceremus profecto, ut fateretur ipse probatissimis homines moribus, immo non raro divites, Londini fabulas agere, & in scena eloquentiam atque mores laudabiliores regnare, quam in Academiis quibusdam. Quod si dicat sese veteres tantum comœdorum greges respexisse, quo loco gravem Æsopum habebimus, quo loco doctum Roscium, quo loco comœdos, mimos, pantamimos, &c. quorum nomina & virtutes lapidum monumentis mandata ipsis æternam utrorumque memoriam pepererunt? Ne dicamus ipsum Burmannum aliquando contra Theologos pro colluvie ista hominum vilissimorum scripsisse, & hos quidem vehementer laudavisse, illos autem acri sale perfricuisse.

Pag. 437. *Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit, Tantalus.* Sic legit Burmannus, sic edidit. Antea legebatur.

Non bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit,
Tantalus.

Nisi quod lectio, quam dedit Burmannus, etiam ab aliis prolata fuit. „ Nos credimus (inquit) „ veram lectionem esse, quam ex Fulgentio re-

„ cepimus, *nec poma patentia carpit.* *Patere* enim „ dicuntur obvia & exposita, quae facile capere „ possumus ". Et uno & altero exemplo adscripto pergit: „ N. Heinsius docuit ita puellas etiam *patere*, quae faciles amatoribus sunt, & ad „ quas aditus non intercluditur. Martial. Lib. „ XI. Epig. 135.

„ *At mihi nuda satis nulla puella patet* ".

In vetustis Fulgentii editionibus legebatur tamen:

Nec bibit inter aquas, nec poma natantia carpit.

Teste P. Daniel, cujus notata ad haec verba in ipsius Burmanni editione reperiuntur. Deinde viri docti, qui denuo Fulgentium recensuerunt, mutaverunt istam lectionem in eam, quam nunc profert Burmannus tanquam Fulgentianam. At quid opus erat *poma aut pendentia* mutare in *nec poma patentia*, id est deteriora reponere melioribus? *Pendentia poma* saepe leguntur apud probatissimos scriptores. Ovid. Metam. Lib. IV. vs. 331.

Hic color aprica pendentibus arbore pomis,
Aut ebori tincto est.

Amor. Lib. I. Eleg. 10. vs. 55.

Car-

Carpite de plenis pendentes vitibus uvas.

Plara, aut aliorum leca coacervare in re nota nihil adtinet. Qui autem *poma patentia* dixerit, ante Burmannum putamus fuiſſe neminem. Nec enim *patere* ſenſu ponitur, quo finxit vir doctiſſimus; ſed ſæpe ſignificat oculis expoſitum eſſe, palam eſſe, ut patet vel ex adſcripto verſiculo Martialis, querentis ſui perdite amantis oculis non ſatis expoſitam videri nudam puellam, quum vellet totus eſſe oculeus, qualem Argum fuiſſe perhibent. Nulli tamen dubitamas, quin juſtas vir maximus mutandi *poma aut pendentia* in *nec poma patentia* habuerit cauſas; ideoque præferendam ejus lectionem eſſe veteri adgnoſcimus venerabundi. Minus docti contendant igitur, quantum volent, nihil temere eſſe mutandum, vere eruditorum temeritas enthea ſingularem habet laudem. Fuit, cum Thomas Munckerus, gymnaſii Delphenſium rector, rebatur legondnm:

Non bibit inter aquas, poma aut fugientia carpit
Tantalus.

Eo illum induxerat inprovidus error, ex Ovidii lectione ortus. Sic enim apud illum Leander in Epiſt. vs. 181.

Lambino. In editionibus secutis ubique eorum lectio, tanquam minime dubia, recepta fuit, scilicet: *Quum multæ naves refertæ essent, una non patuit parva. Cataplus ille Puteolanus —— aures refersit istis sermonibus.* Quæ etiam est lectio editionis Grævianæ. *Cataplus Puteolanus* vero dictum videtur per jocum ut *Cataplus Alexandrinus*, quo vocabulo celeberrimus classis Alexandrinæ adpulsus ad portum exprimebatur. Martialis Lib. XII. Epig 75.

Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus.

Cataplum egregie illustrant a Casaubono prolata ad Suetonii Augustum C XCVIII. ubi inter alia dicit aliter legentes *in sua ignorantia insigniter duræ frontis esse.* Ne igitur diutius hisce immoremur. Damnaret ipse se Casaubonus temeritatis & ignorantiæ, si reviviſceret, intelligens tanto tempore post locum Ciceronis adhuc *corruptissimum* existimari a Criticorum hujus seculi coryphæo; & ipse Grævius, si illi lucis usura redderetur, discipuli quondam sui humanitatem & eruditionem pronus veneraretur.

Pag. ead. Occasione verbi *recedendi* usus Burmannus nova luce perfundit locum Terentianum ex Heaut. Act. III. sc. 3. quem abscribemus, ut cuivis constet quam non naris obesæ sit in istiusmodi deliciis vir nostro præconio major:

CHR.

CHR. *Quid istuc, quæso? qui istic mos est Clitipho? itane fieri*
Oportet? CLIT. *Quid ego feci?* CHR. *Vidine ego te modo manum in sinum huic*
Meretrici inserere.

Verebatur scilicet Chremes, ne filius tandem cum ista muliere, quam putabat Cliniæ amicam esse, consuesceret, atque ideo in tempore filium objurgabat, utque se contineret admonebat. Nam quod dicit:

contumelia est, hominem amicum ad se recipere,
Atque ejus amicam subagitare,

pertinet ad metum patris, ne tandem id fieret, & egregie exprimit stulti Chremetis perversam cupiditatem præcepta aliis dandi, dum ipsum omnes fallebant. Noster tamen communis doctor ita Terentianum locum explicat: „ Pater filium „ objurgat, quod in triclinio, in vino immode- „ stus, subagitaverat, ut credebat amicam alie- „ nam ". Videte acumen hominis! Priora posterioribus confundenda esse solus animadvertit, & Chremetem credidisse amicam alienam a filio subagitatam solus odoratus est & primus. At nos putabamus in Plauto passim subagitationes reperiri, in Terentio non putabamus.

Pag. 446. *Sapientiæ consultissima via.* „ Vox

„ *con-*

„ *consultissima* " (inquit ὁ κριτικὸς) " est suspecta „ mihi; quis enim unquam ita locutus? Forte „ *consuetissima via*, quam veteres nempe fre- „ quenter calcarunt ". *Viâ pervolgatâ patrum* scilicet ingredi amat Burmannus, nec *altero illo ire* desiderat. Verum extra jocum; etiam si *via consultissima* eleganter dici videatur, pro via, quam prudentiores ingrediendam suadent, & quamvis Horatius se *consultum sapientiæ* vocet Lib. I. Od. 34. nihilo tamen minus, ipso Burmanno indicante, *nemo unquam ita est locutus.*

Pag. 427. De donariis, quibus Jupiter Capitolinus locupletabatur, Burmannus suadet videndum *Rycquium de Capitolio.* At quis est iste Rycquius? An professor Lugdunensis? Ita videtur. Nam in præfatione citantur etiam *Justi Ryckii* notæ ad Tacitum. *Justus* vero *Rycquius*, Gandavensis, canonicus in patria ad D. Bavonis, & deinde professor Bononiensis, obiit diem postremum anno 1627. ætatis anno quadragesimo primo, & scripsit, ut nos quidem putabamus, præter Epistolas, Poëmata, & alia quædam, commentarium eruditissimum de Capitolio. Notæ autem in Tacitum scriptæ sunt a *Theodoro de Rycke*, Arnhemensi, totis tredecim annis post *Justi Rycquii* mortem nato, qui fuit quoque professor in eadem cathedra, e qua Burmannus solet docere; quemque ille ob studiorum similitudinem debuerat novisse melius. Nam fuit, cum uterque accusaretur, alter etiam pœnas dederit scortationis, a munere professorio

per

per aliquot hebdomadas remotus. Commutatio nominum inter eruditos facilis est, cum tot sint, qui aliquid scripsere, pene cognomines; atque id data opera hoc exemplo nos docuit vir maximus. Duo scilicet cum faciunt idem, non est idem. Hoc licet Burmanno quod Clerico per Burmannum impune non licuit. Cum enim Clericus ausu temerario, a Burmanno non auctoratus & sacramento illi non dicto, *Bullingerus* citasset pro *Bulongerus*, bone Deus quas turbas dedit, quos lusus! Hoc illi in Diariorum Scriptore mendace acerbissime Burmannus exprobravit, multis locis parvi istius libelli invidiose idem repetens, ut si Clericus capital commisisset, aut in patrios cineres minxisset. Quam decantatum, & usque & usque ingestum & oggestum est illud *Plut. in Galba* miserrimi Clerici! quod tamen nunquam publice fuit lectum. Abstineant igitur manus mastygiæ. Burmanno soli licet *Justum Ryckium* professorem Lugdunensem citare testem, quum nullus sit *Justus* eo nomine, sed *Theodorus*.

Pag. 428. *Jam decima mœstos* &c. Initium est Carminis de Trojæ Ἁλώσει, e quo Jacobus Tollius olim quædam enotavit, & ad examen revocavit, in Comparatione Petronii cum Virgilio, quæ reperitur in Accessione Animadv. Critic. ad Longinum. Scilicet quam utiliter ejusmodi comparationes serviant ad judicium acuendum, vel Broukhusius docuit, Rapini Comparatione inter Homerum & Virgilium e Gallica in La-

Latinam linguam conversa, quod ille sane nunquam fecisset, nisi istam Comparationem vehementer adprobasset, & ex ea ad studiosos sermonis Gallici ignaros magnam utilitatem perventuram. Jam vero nulla comparatio duorum scriptorum potest institui, nisi alter laudetur, alter vituperetur. Nemo vituperatur jure, a quo nihil est profectum, quod non sit egregium & quavis laude dignum. At vel cogitare aliquid esse a quoquam veterum profectum, quod non est omnibus numeris absolutum, peccatum, scelus & grande nefas videtur Burmanno. Quid igitur putatis misero isti famelico Tollio, qui bonæ mentis bonam copiam nunquam voluit ejurare in honorem veterum factum. ô Hominem miserum & plane perditum! Nam in initio quidem Burmannus, callide & prudenter, promittit, se alias examinaturum diligentius totam istam Tollianam Comparationem; (faciet, si vir est) at vero sibi temperare nequit, quin passim interea acriter in temeritatem Tollii, præponentis Virgilium Petroniano Eumolpo invehatur, triumphum agens invita Minerva, & impotentia plus quam muliebri insultans memoriæ Tollianæ. Justam vero causam fuisse Burmanno non dubitabit, quisquis absurda hæc verba è Comparatione Tollii sumta legerit: „ Soleo nonnunquam, cum „ liberalius otium est, optimos utriusque linguæ „ scriptores inter se comparare, ut eorum virtutibus vitiisque pensitatis judicium meum exerceam aeuamque, & honesta simul voluptate „ stu-

„ studiorum meorum severitatem temperem.
„ Neque vero me deterrere ab hoc tam salubri
„ elegantique instituto potuit unquam, poterit-
„ ve, diversa aliorum sententia, qui cuncta bo-
„ na malaque, dummodo magni nominis auctor
„ fuerit, alba linea signant, neque quidquam
„ hujus seculi judiciis in veteres scriptores liber-
„ tatis indulgent, etiamsi illa a reprehendendi
„ carpendive malignitate quam longissime ab-
„ sint". Scilicet falleris multum, Tolli; nam tum demum recte judicare censemur a quibusdam hujus temporis Criticis, quando neglecta ratione sana non putamus verum & pulchrum esse quod illa dictat, sed quod veterum scriptorum opera reliqua volunt, quae sola sunt norma sapiendi & fons purissimus, e quo nil nisi limpidissimum scaturit: tu vero contra tuum judicium, quamvis acre, opponere ausus es veterum dictis veri dicis. Ideoque merito vapulas.

Pag. 431. *Mendacium in damnum potens.* Operae pretium est audire, quae ad ista verba adnotavit Burmannus. „ *Mendacium* (inquit) *potens*
„ est quod persuadet. Eodem sensu dicunt Eu-
„ angelistae, Christi sermones fuisse in ἐξουσίᾳ,
„ Lucae Cap. IV, 32. & Moyses dicitur fuisse
„ δυνατὸς ἐν λόγοις, Actor. Cap. VII, 22. ubi vide
„ Pricaei notas". Ita solet eruditio viri eximii sacris lucem foenerari e scriptoribus profanis; & vel Divini Foederis verba adferre ad Petronium, spurcum sine dubio scriptorem, illustrandum.

Pag. 432. *Mentisque pavidae gaudium lacrimas ha-*

habet, *Quas metus abegit*. „ Et hic " (verba sunt Burmanni) „ exsultat Tollius, & Petronium „ ridiculum facit. Sed sensus apertus est: gau- „ dium illud recens mentis, paulo ante pavidæ, „ lacrymas effundere, quas metus antea effude- „ rat. *Abigere lacrymas* pro ejicere, effundere, „ videtur dixisse, quod tamen nove dictum & „ insolenter". Sic est, vir summe; at nisi tu juberes, non videretur dixisse, *abigere lacrymas*, pro ejicere, effundere, sed pro arcere, præcludere viam lacrymis, quod solent facere mala ultima, quorum magnitudine mens stupet & hebescit. Herodotus Lib. III. de Psammenito rege Ægyptiorum observavit, quod in summa calamitate vultum humi demiserit, & nulla luctus signa dederit; at paullo post amici calamitatem fleverit, rogantique causam responderit: Τὰ μὲν οἰκήϊα ἦν μέζω κακὰ ἢ ὥστε ἀνακλαίειν, *Domestica mala erant majora quam ut lacrymas elicerent.* Apud Senec. in Troad. vs. 409. Andromache dicit:

Quid mæsta, Phrygiæ, turba laceratis comas,
Miserumque tunsæ pectus effuso genas
Fletu rigatis? levia perpessæ sumus,
Si flenda patimur.

Ad quem locum Farnabius notavit levium dolorum fletum esse, ingentium stuporem. Hoc ergo dicit Eumolpus, lacrymas, quæ alioqui mentis pavidæ signa sunt, præ gaudio fluere, quum

ante præ metus magnitudine minime fluerent. Te vero vetante ita capere malumus nescire quod scimus, quam oculos tollere contra.

Pag. 433. *Altaque bipenni latera pertentat.* Agitur ibi de Laocoonte, qui equum Durateum bipenni, aut hasta, aut utraque, petivit, fraudem subesse suspicans. Virgilii verbis e Lib. II. vs. 53. quam nostris malumus rem narrare:

validis ingentem viribus hastam
In latus, inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit: stetit ille tremens, uteroque recusso
Insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.

Nihilo tamen minus summus vir, qui sagacius unus odoratur abditissima quæque quam canis acer, ita ad hunc locum commentatus est: „ Non „ cum effectu capiendum, sed de conatu per- „ tentare cupit ". Nemo sane paullo peritior sermonis Romani negabit, quasdam voces de conatu tantum esse capiendas, præsertim apud Ciceronem in Orationibus, quoties refert sententias varias, in senatu dictas, ut in Orat. pro Leg. Man. Cap. XXI. *Mittere aliquem proconsule*, i. e. velle mittere. Catil. IV. c. 4. *C. Cæsar mortis pœnam removet, ceterorum suppliciorum omnes acerbitates amplectitur*, i. e. vult removere, vult amplecti. Plura addamus exempla non opus est, quum vel ex ultima ista Catilinaria plura possent congeri. *Pertentat* autem hoc loco videretur positum pro magno nisu bi-

 pen-

pennem adigit in latus equi, periculum faciens an possit findi, nisi vir magnus mouuisset positum pro *pertentare cupit.*

Pag. ead. pergit Eumolpus: *Fremit Captiva pubes intus, &, dum murmurat, Roborea moles spirat alieno metu.* Hic Burmannus dicit, se deserere patrocinium, & argutiam istam adscribendam judicio Petronii. Quare autem patrocinium deserat non dicit. Nos dicemus. Tollius, quamvis toties nominibus, quæ in stultum dicuntur, a Burmanno vexatus hoc tamen loco visus est Burmanno sapuisse, ubi minime sapuit. Quid enim prohibet, quo minus dicamus Græcos inclusos, audientes equum bipenni pertentari, metu suspiravisse, atque equum ipsum ita e naribus veluti spiritum Græcorum suspirantium emisisse, non suæ vitæ aut doloris indicium, sed metus Græcorum? Nec opus fuit ad eam rem *tubulis per collum in os deductis*, ut Tollius illudens Petronio dicit. Cavus certe fuisse omnio equus fingitur. Quis indicavit Tollio caput e solido ligno fuisse factum. Æque cavum ponamus ac totus equus dicitur, & nihil difficultatis supererit. Burmannus igitur patrocinium hoc loco deseruit, quia Tollii censura plane haud procedebat.

Pag. 441. *Quid dicis, peregrini amoris concessio?* Verba sunt Encolpii, exprobrantis Gitoni perfidiam. Locus dicitur corruptus in voce *concessio*, quam alii aliter legent. Burmannus post aliorum conatus legit: *Quid dicis? peregrini amoris*

ris confessio? & explicat: „ Quam mihi causam „ afferes, quo te colore excusabis, qui aperte, „ me coram, alium te amare confessus es"? Id autem istis verbis significari hominum nemo pateretur sibi persuaderi, qui ignoraret, quomodo Burmannus ea capienda juberet; qui vero novit, nunquam aliter capiet, si sapit. Quam vellemus tamen viro magno in mentem venisse vocem *accessio*, ut Giton per opprobrium diceretur *peregrini amoris accessio*! Id sane Petronio & Burmanno dignum fuisset; eamque veram esse lectionem multis ostendi potuisset exemplis e Gronovio ad Livii Lib. XLV. c. 7. & Heinsio ad Veleji Lib. II. c. 26.

Pag. 442. *Timui, ne in contubernium recepissem Acylti parem.* In istis verbis nihil difficultatis reperient linguam Latinam accuratius docti. *Par* ponitur enim pro similis, ut Fr. Danielis & alii exponunt. Vellejus *parem* ea significatione de Pompejo Lib. II. c. 29. *Civis in toga (nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem) modestissimus.* Ad quem locum viri docti e Lucano adscripsere:

Cæsar nec ferre priorem,
Pompejusve parem.

Quibus locis *par* sine aliquo casu additum ponitur pro similis, sive æqualis honoribus, potentia, &c. Eadem significatione cum genitivo legitur apud Plaut. Rud. Prol. vs. 49.

Si erat hospes, par illius, Siculus senex.

Ergo nec significatio, nec constructio, ut vocant, vitiosæ sunt. Burmannum igitur audiamus. „ Arbitrum Ascylti parem scripsisse (inquit) non „ credam, cum debuisset saltem *Ascylto*. Quare „ puto hic legendum *Ascylto parem*, id est simi- „ lem ". Apagite igitur, quiqui putatis *parem Ascylti* recte dici, etiamsi Plautus *parem illius* dixerit; & præterea apud Jos. Iscanum, poëtam seculi decimi tertii post Christum natum, & quem plurimi facit Burmannus, citans ejus auctoritatem interdum inter optimos scriptores, legatur de Bell. Troj. Lib. III. vs. 92.

Ecce timoris
Causa prior cessit. Spirat par Herculis Hector.

Quid? Istum Iscani locum ipse protulit Burmannus, sed neutro genere positum, *par* contendit, ne scilicet vetus Petronii lectio per eum tueretur suum locum. Quodsi autem *Hector* dicatur ea ratione *par Herculis*, qua vult Burmannus, Iscanus humani aliquid passus videri debet. Hercules enim jam *Nessum indutus erat*, ut loquitur poëta minime tumidus, id est mortuus erat; nec paria bene comparata esse possunt, præterquam inter vivos. Quis, exempli causa, ferret dicentem *Burmanni par Valla*, quum jam du-

dudum Valla mortuus terram mordeat, Burmannus eruditos.

Pag. 443. *Juvenis nudus, qui vestimenta perdiderat.* Nescitis, quicunque haec legitis, *nudus* quis dicatur, nisi forte in Burmanni ludo docti estis. *Nudus* scilicet est vestitus, modo ne vestitus iste indutus sit togam. Vestiti, inquam, dicuntur *nudi*, si modo togam non induti sint. Utinam Burmannus solus tam admirandam rem nos docuisset, nec haberet Amplisf. Cuperum auctorem! Propius paullo & diligentius rem expendamus. Ascyltus narratur in balneo vestes perdidisse; is jam nudus oberrabat Gitonem flagitans. Quam fuerit nudus patet è verbis Encolpii, quae apud Petronium sequuntur: *Habebat* (Ascyltus scilicet) *inguinum pondus tam grande, ut ipsum hominem laciniam fascini crederes.* Sub coelo coleis qui stant apertis, si nudos vocare non licet, quos, quaeso, nudos vocabimus? Nec nudos videre homines in agris opus facientes in Italia rarum erat. *Nudus ara*, inquit Virgilius, *sere nudus*; quibus verbis si vestitos, aut certe tunica velatos, veteres intellexissent, nequaquam ab homine urbano subjectum fuisset: *Habebis frigora, febrim.* Nudos in conviviis saltasse, si alii auctores non dicerent, vel Cicero nos doceret; nudos luctari solitos notum est pueris, qui nondum aere lavantur; nudos Romae quotannis lupercos cucurrisse etiam nimis notum est.

Sæpe supercilii nudas matrona severi,
Et Veneris stantes ad genus omne, videt.

Inquit Ovid. Trist. Lib. II. vs. 309. Athletas Romæ nudos certavisse vel ex eo palam fit, quod Augustus ab eo spactaculo muliebrem sexum omnem submovit, indicante Suetonio in August. Cap. XLIV. Idem quoque hæc habet in Tiberio Cap. XLII. *Sestio Gallo libidinoso ac prodigo seni cœnam ea lege condixit, ut nudis puellis ministrantibus cœnaretur.* Putares igitur *nudum juvenum* revera fuisse sine vestibus, & ita cepit quoque Erhardus, dicens, Petronium describere & perstringere simul impudentiam ævi Neroniani. Non impune id tulit vir doctissimus. Burmannus enim subjungit: „ Minime impudentiam ævi Nero-„ niani perstringit, neque pugnant nudum & „ sub veste lavari, sed potius unum idemque si-„ gnificat. *Vestis* enim nomine præcipue tuni-„ ca, & omne præter togam velamentum, apud „ scriptores Romanos significatur. Tunicati au-„ tem *nudi* centies dicuntur, quia toga demum „ erat amictus verus: tunica induti vix tecti vi-„ debantur. Et hinc passim apud rei amatoriæ „ poëtas nudæ puellæ vocantur, tunica tantum „ velatæ. Juvenalis Sat. VI. vs. 124. nudam „ prostitisse Messalinam dicit, quæ tamen reje-„ cto veteri centone, quo tecta intraverat lu-„ panar, tunicata exspectabat adulteros. Hic „ vero *nudum* caperem veste tantum balneari in-„ dutum, &c." Magno emtum vellent rudio-

res, ut Burmannus è centum locis, quibus *tunica induti dicuntur nudi*, vel quinquaginta protulisset, reliquorum enim gratiam illi facile potuissent facere, quod nunc non possunt, quum nullum adferat, sed provocet tantum ad Cuperi Observat. Lib. c. 7. Ibi reperietis ex Auctore de Viris Illustr. loquente de L. Q. Cincinnato: *Ad quem missi legati nudum eum arantem trans Tiberim invenerunt.* Verba ea reperiuntur Cap. XVII. nec quidquam de tunica præterea est additum, quum vetusti illi Romani ignoraverint tunicam, sed sine tunica toga tantum amicti fuerint, ut ex Gellio & aliis docuit Ferrarius de Re Vestiaria Lib. III. c. 1. Immo doctissima Daceria ad ea ex Hesiodo protulit;

Γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν,
Γυμνὸν δ' ἀμάσθαι.

Nec plus roboris habet locus, itidem a Cupero prolatus e Suetonii August. c. LII. *Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est.* Augustum duas tunicas e more solenni gestasse observat Cuperus, & ideo ipsum pectus nudare non potuisse, sed ostendisse pectus tunicâ tectum. Ut vero concedamus, tunicam tum Augustum habuisse, potuit tamen plane nudare pectus, quoniam tunica circa collum minime erat adstricta, sed hinc & inde plicata, ut in statuis veteribus & aliis argumentis adhuc oculis cerni potest, pectus

tegebat, quæ plicæ ſi diducerentur manu, & pars ſuperior tunicæ deprimeretur, nihil erat facilius, quam plane pectus nudatum oſtendere; nec aliter Auguſtum feciſſe nobis credibile fit. Supereſt, ut Juvenalis locum, a Burmanno adductum, excutiamus. Meſſalinam ille nudam proſtitiſſe dicit, Burmannus *tunicatam exſpectaſſe adulteros*. Operæ pretium faciemus verſus aliquot Juvenalis hic tranſcribentes:

Intravit calidum vereri centone lupanar,
Et cellam vacuam atque ſuam. Tunc nuda papillis
Conſtitit, auratis, titulum mentita Lyſciſcæ,
Oſtenditque tuum, generoſe Britannice, ventrem.
Excepit blande intrantes, atque aera popoſcit;
Et reſupina jacens multorum abſorbuit ictus.

De tunica ne γρῦ quidem. Si vero *tunica* ita fuit Meſſalina in lupanari, quid profuit inauraſſe papillas? Aut qua ratione oſtendit ventrem? Nam id factum, dum proſtitit, neque adhuc ad eam intraverat quisquam, quod demum verſu ſequente dicitur. Farnabius e Xiphilini Heliogabalo ad iſtum locum adnotavit, quod imperator iſte γυμνὸς ἐπὶ τῆς θύρας τοῦ πορνείου ἕστηκεν, ὥσπερ αἱ πόρναι. Verum, ohe jam ſatis eſt! Nil amplius reſtat quam petere a Burmanno, ut dignetur ſuam ſententiam, de *nudis veſtitis* uno aut altero loco e ſcriptore probato adferere; utque nos doceat, quid plane ſibi velint, quidve ſignificent in hac

ob-

observatione ipsius verba: *Vestis nomine præcipue tunica, & omne præter togam velamentum, apud scriptores Romanos significatur*; qua ratione veste induti pondus inguinum videre potuerit eques Romanus, qui hominem domum abduxit; & quid opus fuerit errantem sua veste circumdare.

Pag. 446. *Inguina fricare.* Æque prosunt ad istum locum a Burmanno observata moribus ac virtuti. Utrumque enim curare est humaniorum literarum professoris. „ Fricare (inquit) „ libidinantium verbum. Martial. Lib. XI. E- „ pig. 30.

„ *Nil opus est digitis, sic mihi Phylli frica.*

„ Ita ex membranis Florentinis, quas contulit „ Heinsius, rescribendum apud Apulej. Lib. II. „ Metam. *Super me residens, lubricisque gestibus mobilem spinam quatiens, pendulæ Veneris frictu me satiavit*, male nunc & insipide *fructu* circumfertur. Eadem vox reddenda, ju- „ dice Heinsio, Juvenali Sat. VI. vs. 322.

„ *Ipsa Medullinæ frictum crissantis adorat* ".

Tribus, ut videtis, locis, castissimorum auctorum, Musarum virginum sacerdos docuit juventutem *fricare esse libidinantium verbum.* Permagni enim ad studia humaniora interest, ut ne juvenes talia, suo tempore in usum versuri dictata magistri, ignorent. De fricatrice Phyllide ver-

 bum

bum non addemus, quæ vetula juvenem dextra fricabat; sed Photidem Apulei indictam non sinemus, quum illa in speciem Veneris pulchre formata aliam fricandi rationem feliciter sit secuta, utque juvenes discant, ad quas illos epulas invitet professor, verba Apulei adscribemus. Locus est sumtus e Lib. II. Metam. p. 122. edit. Elmenhor. *Hæc simul dicens* Photis, *inscenso grabatulo, super me cessim residens, ac crebra subsiliens, lubricisque gestibus mobilem spinam quatiens, pendulæ Veneris fructu me satiavit; usque dum lassis animis, & marcidis artubus defatigati, simul ambo corruimus inter mutuos amplexus animas anhelantes.* Quod vero Heinsium citet Burmannus, e membranis Florentinis legentem *frictu*, id facit Heinsiani nominis favore, quum ex iisdem membranis dudum ante Heinsium natum alii eandem protulerint lectionem, ut ex Elmenhorstii emendationibus p. 161. palam fit. Aliud quoque est, quod monendum de hoc loco duximus, scilicet Colvium legere: *super me sensim residens*, quod de nihilo non videtur, atque dignum in quo expendendo Burmannus exerceat industriam suam.

Pag. ead. *Vile est quod licet, en animus errore lentus injurias diligit.* Sermo est de multorum perversitate in amore, quibus uxores suæ *viles sunt* & spernuntur, quia, quoties libet, licet illis μίσγεσθαι ἐν φιλότητι· nam illorum *animus isto errore lentus* non excitat desiderium explendi libidinem, si *injuriæ* non fiant marito alie-

alieno; id est, mariti spernunt amplexus uxorum suarum, nec facile amant fundere illis blandum per membra soporem. Illi quidem *errant*, quum nihil intersit ad voluptatem, quænam mulier complexa viri corpus cum corpore jungant; sed tamen error iste facit eos *lentos*. Si vero in aliena togata peceent, & alieno cubili *injurias* facere liceat, tum demum viri sunt, & se præstant, ipsa cogitatione injuriarum, quibus alios afficiunt, vires excitante & voluptatem augente. Et certæ puellæ, quæ libenter sui copiam facerent, & propterea spernuntur, *viles*; viri, qui, cum ad rem est ventum, nervos non habent, aut saltem non erigunt, dicuntur *lenti*. Alterum ex Ovidio discimus. Briseis Achilli scribit in Epist. vs. 41.

Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille?

Medea Jasoni vs. 187.

Si tibi sum vilis; communes respice natos.

Alterum e Propertio, quamvis etiam eo trahant eruditi verba Hypsipyles in Epist. vs. 17.

Quid queror officium lenti cessasse mariti.

Sed Propertii testimonium illustrius est Lib. I. Eleg. VI. vs. 12.

Ach pereat, si quis lentus amare potest.

Ubi

Ubi a Passeratio legitur annotatum; „ *Lentus* „ qui languet aut friget in amore. *Lentus* convitium „ in amantem, vel qui pene friget, nec commo- „ vetur aculeis iracundiæ, & doloris, querente a- „ mica; vel cessat in officio Veneris ". Lib. II, 12, 6.

Illa meos somno lapsos patefecit ocellos
Ore suo; & dixit: Siccine lente jaces?

Immo & puellæ, quæ nulla Veneris voluptate satis commoventur, *lentæ* dicuntur, ut apud eundem Propert. Lib. III, 6, 20.

Hostibus eveniat lenta puella meis.

Hactenus recte, si Burmannus non intercederet, his verbis ad Petronium adscriptis: „ Quid *ani-* „ *mus errore lentus* sit, non capio, nisi intelliga- „ tur παθητικῶς de lento amatore, qui injuriam „ sibi fieri nullo modo patitur, sed etiam dili- „ git injurias, quale exemplum supra præbuit „ ipse Encolpius, qui Gitona amabat, etsi reli- „ ctus ". Etiamsi igitur quis putet se intellige- re, quid *animus errore lentus injurias diligit* si- gnificet, is sciat id sibi non licere, quoniam Bur- mannus ὁ μέγας aperte dixit, se non capere quid id sit.

Pag. 448, Dicuntur cibi peregrini placere, *quod non sunt faciles*. Ubi recte notat vir invidia major subaudiri *paratu*. Sine dubio id ita est; verum qua ratione eo pertineat locus e cap.

LXXXVI.

LXXXVI. *Scis quanto facilius sit columbas gallosque gallinaceos emere, quam asturconem*, quem firmandæ suæ sententiæ adfert, fatemur nos nescire, quum certe ibi *paratu* post *facilius* subaudiri minime potest; ut in loco Virg. e Georg. Lib. II. vs. 459. quem etiam adscripsit:

Fundit humo facilem victum justissima tellus.

Pag. 449. *Omnes sub eadem causa obruet.* Etiamsi vox *causa* ibi eleganter sit sumta de foro, ubi quæ dicantur *causæ* notissimum est, adsentientur tamen omnes, qui nolunt haberi bardi & blenni, Burmanno docenti, *causam* ibi significare prætextum, quam significationem passim pene omnes Grammatici voci *causæ* adseruerunt, & usque & usque id repetitum est & ingestum, nec opus est exemplis, quamquam a Burmanno adlata minus videntur congrua. Ceterum vir maximus, quum jam aliquot paginis in alios eruditos non esset debacchatus, arrepta, quam quærit ubique, occasione, vehementer alios literatos insectatur, Clericum præsertim, & Clerici similes, id est homines diligentissimos, & nullius in verba magistri jurare solitos. Audite ipsum solita modestia & humanitate sententiam proponentem: „ Ceterum (inquit) oportet jam
„ tum Gorallos & Parrhasios fuisse, qui nullo
„ discrimine poëtas veros, sanctissimos vates, &
„ clericales illos poëtastros & insanos habebant,
„ & sub eadem causa omnes obruebant. Et qui
„ quum

„ quum frustra sæpe versus, quibus plausum
„ mererentur, pangere tentassent, neque illis
„ adfuisset propicia Minerva, conviciis & male-
„ dictis alios agitant, & sine delectu bonos &
„ malos eodem ordine habent. Sed mercenarias
„ has Typographorum operas, qui ad paginarum
„ numerum scripta sua vendunt; quæ non ap-
„ peterentur, nisi summos quosque viros canina
„ rabie allatrarent, alias, si diis placet, data
„ opera in ordinem redigemus ". Duo hominum genera accusari auditis: *poëtastros*, & scriptores, qui *Typographorum mercenarii* vocantur. Nos vero, ut quivis sciat, quales hoc loco tanguntur, de utroque genere paullo diligentius agemus. Poëtastri sunt homines, qui versus facere ausi sunt unquam Apolline, id est Burmanno, invito; quum in Hollandia nemini liceat esse poëtæ, qui ab eo non didicit, aut qui partes ejus non sequatur, eumque laudibus non efferat summis, tanquam poëtam unicum, Criticum acutissimum, Historiarum callentissimum, omnis denique eruditionis promum condum. Nam quod putetis, poëtastros vocari Gallos, aut Germanos quosdam, subinde in metrum peccantes inscitia artis, multum fallimini. Id enim magnis & veris poëtis licet; & suo exemplo non raro illis præivit ipse Burmannus, non quod digitis aut aure quantitates syllabarum non calleret, sed ut discipulis suis audaciam faceret similia tentandi, qui etiam titubante pede præeuntem non aliis passibus secuti sunt. Exempla passim occurrunt in Car-

Carminibus Burmanni. Ubi, quæritis? Nolumus respondere, quod Angelus Politianus Marullo:

Innumeræ tibi sunt, Mabili in carmine mendæ,
Atque ubi sint quæris, per mare quæris aquam?

Aliia jam dudum ante nos exemplis ostederunt e Burmanni carminibus segetem magnam syllabarum contra legem Pædiam positarum facili labore posse colligi. En spicilegium ex Elegia, cui nomen est Pax & Libertas:

Auxisti tenues, & modo nutris *opes.*

Scilicet cum Ovidius in fine pentametri posuerit *quærit opes*, *addit opes*, *nutrit ope* & similia, quî minus licebit Burmanno scribere *nutris opes?* At postrema syllaba in *nutris* producitur secundum leges metricas. Nihil refert. Pauci eas intelligunt: pauci talia animadvertunt. Quid puod ante Burmannum apud ipsum Ovidium legebatur Epist. XII. vs. 71.

Nescis, an exciderunt mecum loca?

Ubi nunc legitur:

Nostin', an exciderunt mecum loca?

Et Heinsius aperte dicit, *nescis* contra metrum locum suum tueri non debere. Eadem tamen est ratio in *nutris*, quod sola auctoritate Burmanni corripitur. Nec enim putandum est, syllabas esse breves, aut longas, ex auctoritate veterum, verum ex Burmanni voluntate, quae ex ipsius versiculis colligitur. Sic prima syllaba in *Seminarium* longa non est, etiamsi omnes poetae, qua veteres, qua recentiores, longam posuerint (ut nihil adtineat id exemplis prolatis probare) sed brevis auctoritate Burmanni:

Vivida Christicolæ seminaria *crescite*, *cœtus*.

Quem versiculum reperietis inter alios haud minus probos in Carmine Elegiaco, a Burmanno ad centesimum & quinquagesimum Academiæ Lugduno-Batavæ natalem celebrandum recitato. Videte, quid auctoritas & nomen confidentiâ quaesitum valeant! Si alius tale quid ausus fuisset. Vah miserum illum hominem atque perditum! Discite igitur aliis sua exprobrare vitia, ut alii vos eorum immunes credant. Sic fecere, quos jam nominavimus, Politianus, & Marullus, quorum hic sub ficto Ecnomi nomine carmina Politiani, ille sub Mabilii appellatione Politiani carmina perstrinxit. Aptissime autem Burmannus objicienti talia responderet, quod quondam Politianus fingitur in re simili respondisse Marullo, scribenti:

At qui non pes hic, non, Ecnome, ſermo Latinus!

ſcilicet:

Abi, homo, minuta hæc ſpernimus docti viri.

Hoc igitur uni hodie Burmanno licet, aut iis, qui tyrocinium ſub eo poſuerunt; alii omnes talia auſi vocantur poetaſtri, & merito furcillis præcipites de Parnaſſo ejiciuntur. *Typographorum mercenarii* vero ſunt Galluli, qui accepta mercede libros typographis conſcribunt, ut utrique aliquid lucrentur, habeatque ſcriptor quod edat, typographus quo familiam ſuſtentet, & lector quo bonas horas cum voluptate collocet. At vero ſi profeſſor typographis pecunia operam locat, eum minime ſcriptorem mercenarium vocaveris, quum ille non quod typographus vult ſcribat, ſed quod ipſi placet, licet id a paucis, a nemine certe cum voluptate, legatur: quo fit ut typographus emtores mercis tam putidæ non reperiens queratur, & pecuniam & chartam ſibi periiſſe. Quod ſi lege caveretur, ne quis hiſtorias, aut aliud quid publice utile, ſcriberet præter *primi ordinis doctores*, ſtatimne putatis mercenariis, quod ſcriberent, nihil ſuperfuturum? Toto aberratis cœlo, qui ita cenſetis. Plerique eorum, qui hodie manus admovent libris ſcribendis in Hollandia, cum typographis paciſcuntur, ut ſibi

bi pro laboris magnitudine merces detur. Dolet vero valde Professores æque aliis ac sibi licere pecuniam a typographis accipere, idque duplicem ob causam; primo scilicet, quod non raro intelligant iis, qui Professores non sunt, majorem quam sibi mercedem tribui; quia typographi experiendo didicerunt, plus lucri accipi e quorumdam, qui Professores non sunt operibus, quam e lucubrationibus Professorum haud raro scholasticum pulverem olentibus. Id vero acerrime eos urit, & meritissimo sane. Deinde vero, si sibi solis id liceret, quam avare arti pretium statuerunt suæ! Miseris typographis vix atrum ex jure hesterno panem vorandum relinquerent! Nam quod eos capere oportet illi interciperent. Nec videamur cuiquam præter æquum & bonum dicere quod verum non est. Nemo fere est, paullo qui peritior est earum, quæ intur bibliopolas & eruditos homines geruntur, rerum, quin sciat verissima esse quæ diximus. Absit tamen, ut turpe censeamus erudito homini pro labore accipere pecuniam; multo id sane est turpius, si scriptori pro magna contentione animi & corporis elaboratis operibus a typographo damnum timente pecunia negetur. Aliis exprobrare quod omnibus licere putamus, nec nostrum, nec hominis est. Ipse Burmannus, quum dicentibus & adsirmantibus typographus, magno pecuniæ amore teneatur, testis erit, vera esse quæ diximus. Typographorum, qui quidquam ab eo scriptum ediderunt, nemo negabit, pecuniam,

aut

aut libros, aut utrumque, Burmanno esse promittendum & dandum, si qui ab eo quidquam extorquere velit. Quidam præterea testabuntur, factum esse interdum, ut in medio opere typis describendo causas quæsiverit vir doctissimus, quo minus *copiam*, quam vocant, daret; idque nullam aliam ob causam, nisi ut paullo plus mercedis a bibliopolis auferret. Trajectini, Lugdunenses & Amstelædamenses librarii inter suos narrare solent, factum esse aliquando, cum Burmannus satis magnum exemplarium, operis quod tum imprimebatur, numerum esset pactus, veluti laboris mercedem, ita illum conditiones fuisse interpretatum, ut ista exemplaria sibi ligata fuerint tradenda, quæ cum librarii, ut solet, consuta tradidissent, Burmannum coëgisse homines, ut tantum sibi pecuniæ in manum darent, quantum bibliopegis dandum fuisset pro ligaturis conficiendis. Qui vero negant virum eximium pro labore mercedem capere solere, quod nos eum & fecisse & facere dicimus, & licere contendimus, dicant quæ causa sit, non inimicitiarum Amstelædamensibus exercitarum, quamquam & earum causa e Burmanni cupiditate est orta, sed quæ causa sit simultatis jamdudum cum Luchtmanno exercitæ. Si vero illi eam ignorant, loquantur præsertim Lipsii & aliorum Epistolæ, operâ Burmanni publicatæ, Hagæ & alibi proceribus parata pecunia, dum imprimerentur, a Burmanno obtrusæ, & postéa Luchtmanno pro aliis libris redditæ. Dicant bibliopolæ, qui Ovi-

dium typis descripserunt, quare tam diu opere cessarint, donec illi promissæ mercedi Bailii Dictionarium Criticum adjecerint. Dicant etiam Hagienses, quos ille omni ope nunc perdere conatur. Immo, ne diutius isti rei inhærere necesse sit, dicat ipse vir clarissimus, quare *jus copiarum*, quod inter bibliopolas est, tollere & abolere conetur, si id non agat, qua ratione jam ante a se venditas notas denuo possit vendere. Verum hæc sunt satis in specimen. Ostendimus sane quinam sint *poëtastri*, qui *Typographorum mercenarii*; & demonstravimus exemplis, non omnes, qui in metrum peccant, poëtastros, nec scriptores omnes, qui pecuniam a typographis accipiunt, *mercenarios* esse vocandos, nisi quis ipsum Burmannuu *poëtastrum* & *typographorum mercenarium* velit, quod minime licet, quoniam dicitur turpissimum esse doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Pag. 452. *Ut dicimur manus & pugnas exercere in aliquem, ita ille* &c. Dii vestram fidem! *Pugnas exercere in aliquem* forsitan ante hunc diem dixit nemo, & tamen Burmannus nullo teste, nullo auctore idoneo, ita solere dici ignaros docet. Servi Plautini *pugnas exercent*, a Burmanno docti *pugnas*.

Pag. 453. Narrat Encolpius, se in cella quadam suspendio vitam finire voluisse, at interventu Eumolpi & Gitonis perficere quod conabatur non potuisse. Ibi multis inquirit vir celeberr. qua ratione, quibusve modis, rem tentaverit Encolpius,

pius, & cum tandem videret nihil expediri posse, hæc satis prudenter addidit: „ Ipsam si cel-
„ lam videre liceret, facilior nobis sensus ex his
„ verbis eliceretur" Sic est sine dubio. At quis poterit usquam cuiquam ostendere domos, aut earum partes, quæ nusquam sunt, nisi in libris, quos vocant, Romanensibus. Eodem jure postulare quis posset, ut sibi ostenderetur asinus, in quem miser iste Apulejus fuit conversus, aut Photidem Venerem pendulam exercentem.

Pag. 461. *In lance argentea indicium & fidem præferebat.* Scilicet narratur ibi præco proclamasse mille nummos datum iri indici, qui reddidisset aut commonstrasset Gitonem paullo ante in balneo perditum. Ascyltos autem nummos mille indici promissos in argentea lance præferebat, eosque nummos Petronius vocat *indicium*, i. e. præmium indici dandum, *& fidem*; scilicet quod iidem nummi facerent fidem nullam fraudem metuendam, serio agi, nec solum argentum promitti, sed etiam statim revera indici datum iri, utpote jam paratum & præsens. *Fides* quippe interdum positum legitur pro certo & indubitabili signo ac documento alicujus rei, ut apud Justinum Lib. IX. c. 2. *Viginti millia puerorum ac feminarum capta, pecoris magna vis, auri argentique nihil. Ea primum fides inopiæ Scythicæ fuit.* Et Florus Lib. I. c. 2. *Janum geminum fidem pacis ac belli* vocat. Priorum locum etiam huic loco addidit vir eximius, eoque usus est simili-

militer vir doctus ad Florum, ut satis notus sit. Sed tamen in ipsis nummis istam fidem esse, videtur Burmannus negare, hoc modo ad hunc locum commentans: „ Non explicant, quid *fi-*
„ *des* hic sit, quam in lance præferebat; nisi
„ quod Pithœus intelligat publicam, qua ex au-
„ ctoritate magistratus perquiritur, sed in quo
„ constiterit silet, an diploma aliquod fuerit,
„ quo ipsi a magistratu venia inquirendi in alie-
„ nas domos datur, an vero tabulæ testium, qui
„ hunc puerum, qui aberraverat, Ascylti esse
„ juraverant, non addit: & tale quid fuisse opor-
„ tuit. Nisi quis hariolari vellet, in lance hac
„ imagunculam Deæ Fidei fuisse, ut per eam
„ monerentur rem perditam vel ablatam resti-
„ tuere". Et sane prior ista explicatio est nimis simplex, & sensus apertior, quam ut viro obscura quærenti, ut illis eruditissimas explicationes possit adscribere, sese probatura sint.

Pag. 464. Contendit summus Criticus lictores & viatores a servis publicis diversos fuisse, idque acriter urguet. Nos vero distinguendum putamus, quum fieri potuerit, ut servi publici tanquam viatores adhibiti fuerint, lictores servi publici non fuerint, sed aut e genere libertino homines, aut e municipiis. Conferte, quæsumus, duo Livii loca, & tum renuntiate, num inter servos publicos etiam viatores fuisse credibile sit. Alterum habet Burmannus e Lib. XXXVIII, c. 51. *Scipio ab Rostris in Capitolium adscendit. Simul se universa concio avertit*

&

& secuta Scipionem est. Adeo ut postremo scribæ viatoresque tribunos relinquerent, nec cum iis præter servilem comitatum & præconem, qui reum ex Rostris citabat, quisquam esset. In quibus verbis per *servilem comitatum* privatos tribunorum servos esse intelligendos, ne ipse quidem Burmannus negare potest, cum expresse fateatur ad hunc locum „ *scribas* fuisse servos „ publicos ". Ergo qui circa tribunos remanserunt privati, non publici servi fuere. Alter locus est Lib XLIII, c. 16. *Censores extemplo in atrium Libertatis adscenderunt: & ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, & dimissis servis publicis, negarunt se prius quidquam publici negotii gesturos quam* &c. Priori in loco qui *scribæ viatoresque* vocantur, in posteriori *servi publici* dicuntur, qui scilicet magistratibus apparebant. Nisi igitur quid dissentiret doctus Burmannus, nobis ita videretur. Sed ab eo dissentire *nec Di, nec homines nec concessere columnæ.*

Pag. 472. contra eruditorum omnium, quotquot Horatium adtigere, mentem poetam istum explicat coryphæus eruditorum Burmannus; ideoque ut ejus explicatio hic legatur digna est. „ Pignorius de Servis p. 343. (inquit) docet, & „ magistros navium fuisse sæpe servos, & talem „ intellexisse Horatium Lib. III. Od. 6. mihi „ persuadeo:

„ *Seu vocat institor,*

„ *Seu navis Hiſpanæ magiſter*
„ *Dedecorum pretioſus emtor.*

„ Non, ut Gallus interpres fecit, dominum in-„ telligit: hujus enim amor non dedecori puel-„ læ eſſe poſſet, cum domini eſſent equites & „ honeſtiſſimi cives, &c". Verum eſt & certum potuiſſe fieri, ut magiſtri navium eſſent ſervi, & exercitatori libuiſſet forte ſervum pro magiſtro navi imponere. Digeſt. Lib. XIV. Tit. I. §. 1. *Magiſtrum navis accipere debemus, cui totius navis cura mandata eſt.* Et §. 4. *Cujus autem conditionis ſit magiſter iſtè, utrum liber an ſervus; & utrum exercitoris an alienus*, &c. At *ſæpe ſervos fuiſſe* præter Burmannum nemo huc usque docuit, ne Pignorius quidem, quem ille citat; & cujus hæc ſunt verba: *Servos etiam magiſtros navi præpoſitos fuiſſe docet Africanus.* Vocem *ſæpe* apud Pignorium fruſtra quæras. Fuerunt igitur magiſtri navium plerumque homines liberi, quamvis & ſervum fidum a domino navi tanquam magiſtrum imponi potuiſſe, & revera aliquando impoſitum fuiſſe, credibile ſit. Nec tamen ex eo ſtatas, in Horatii loco intelligi *ſervum*, ut vult Burmanns, neque tota Ode reperitur aliquid, quod indicio ſit ſervum fuiſſe. Invehitur ibi Horatius in nuptarum vitam probroſam, quæ etiam maritis conſciis e convivio ſurgentes, pretio accepto, cuivis ſuorum corporum copiam faciunt, modo ille largiter det. *Juſſa coram non ſine conſcio Surgit marito: ſeu* vo-

vocat institor, &c. Nec admodum referree putamus utrum ibi magister navis intelligendus sit servus an liber. Id vero, quod sequitur, quomodo, aut qua ratione defendi potest? *Hujus enim amor non dedecori puellæ esse posset, cum domini essent equites*, &c. Hoc est: mulieri nuptæ probrosum non est ab adultero paullo nobiliore corrumpi; aut uxorem agere usurariam non turpe est mulieri modo cum paribus volutetur, quum, vel Ovidio teste, *turpis adulter ipso adulterio pejor* sit. Vos igitur nuptæ, quas peccare juvat, petite præcepta a Burmanno, is vos docebit, qua ratione id liceat, quod nunquam licuit, nec licebit.

Pag. 479. Docet nos vir veterum Philosophiæ studiosissimus, *antiquos nihil miserius existimasse quam in aqua perire, quia animam igneam exstingui in mari crebedant.* Nihil sane ad mortem quod adtinet, miserius habitam fuisse apud veteres quam mari hauriri & animam mediis in aquis relinquere, certum quidem est, sed alterum illud, caussam scilicet, *quod anima ignea in mare exstingueretur*, nisi Burmannus docuisset, plerique ignorarent. Strepitum aliquem, veluti ferrum candens aut carbo, quum in aqua exstinguntur, an ediderit anima, quæ ita exstingueretur; non addidit vir raræ doctrinæ, quamquam putemus id æque notum illi esse. Atque utinam aliis locis non visus esset a sententia adeo singulari discessisse, nam in eodem hoc opere, pag. 530. observat: *Veterum superstitionem*,

turpissimum & miserrimum mortis genus duxisse aquis submergi, quia sepulturæ beneficio privabantur. Et pag. 535. Tertiam, quam dicit sapientum fuisse sententiam, proponit. „ Sapientes „ (inquit) a plebeja illa opinione, de sepulturæ „ honore & necessitate animum abducentes, „ omnem post mortem cadaveris consumtionem „ sepulturam idoneam credebant". Tres istas sententias commodissime variis locis in Adversaria retuleris, usurus pro re nata illarum una aliqua, ne quid laudis celeberrimo Burmanno detrahatur, si vulgus studiosorum videat de eadem re tam diversa sensisse primi ordinis doctum hominem. Observate etiam, quam necessario voces istas *post mortem* postremo loco fuerint additæ, ne quis putet *cadavera* solere consumi *ante mortem.*

Pag. 480. Egregia prorsus & ex penitissima Latinitate promta sunt, quæ vir eximius passim habet *de Verborum proprietate*, ad quæ si comparentur olim a Marcello, Capro, Agrætio, de eadem proprietate conscripta, nauci non sunt. „ *Notare* & *Notæ* (inquit) proprie de stigmate". Scilicet propria vocum significatio est ea, quam habent ratione originis, quæque in vocis primitivis perspicitur ex usu derivatarum inde vocum, ubi illæ sine ulla translatione adhibentur significatione sua. *Nota* igitur hucusque dicebatur signum qnodcunque quacunque rationi additum rei aut personæ, ad distinctionem ab aliis quibusvis, sive ad cognoscendum aliquid & dignoscen-

scendum inter ejusdem speciei res. *Notare* autem exprimit actionem adponentis ejusmodi signum. At vero, ex quo Burmannus docuit, *Notare & Nota proprie dici de stigmate*, cavete ne erretis, aut præbeatis ludum urbanis hominibus, dicentes a *clariss. Burmanno Notas esse additas classicis auctoribus*, ne illi putent *Stigmata esse addita*. At quoties in titulo aliquo legetis: *Cum suis & aliorum Notis*, tum putatote, Burmannum Stigmata suâ & aliorum manu inussisse auctoribus. Verum, absque joco, eximius vir passim proprieratis vocum notat, quas si quis colligeret, & una in publicum ederet, mire utilem operam studiosis navasse diceretur. Exempli causa, pag. 494. „ Proprie „ *curationem facere* dicti, qui in Idolis comen- „ dis, & in aris ornandis, toti sunt". Pag. 561. „ Proprie *ingenium* dicitur, quo nova excogi- „ tanrur & inaudita". Pag. 570. „ *Gemere* „ proprie dicitur de rebus, quæ nimio pondere „ premuntur". Hæc sunt satis in exemplum.

Pag. 486. In Nodotium more suo invectus ad verba *Nec non eodem futuris navigio*, notavit Burmannus: „ Gallicus noster Petroni cor- „ ruptor nullo sensu edidit *non omen facturus na-* „ *vigio hospitio mihi*, quæ quid significent, vel- „ lem nobis stupidis exponerent sublimia illa „ Galliæ ingenia". At vero in Petronio Nodotiano sic legitur: *Ego, inquit Eumolpus, hoc jussi, non omen facturus navigio hospitium mihi.* Vox autem *hospitium* literis expressa est cursivis,

quas

quas vocant, ut ſolent paſſim in iſto libro voces ſuſpectæ. Nil ſane mali aut inſoliti fecit editor, quum vocem, quam videbatur ſibi legere in MS. nec tamen intelligeret, retinuerit, ſed alio literarum genere expreſſerit, admonens ita lectores latere ulcus aliquod. Ponamus autem omnem operam Nodotianam fictam eſſe & vanam; at certe hoc verum eſt *hoſpitium*, non *hoſpitio*, ibi legi, & mutationem in *auſpicium* difficilem non eſſe. Non debuiſſet igitur Burmannus ſcripſiſſe ibi *hoſpitio* legi, quod intelligi non quit: niſi ſi prudenter ſtatuamus talia licere, ut Galluli tanto magis ridiculi & fidei pejoris videantur imperitis.

Pag. 488. „ Florus vocat Sardos *gentem contumacem & vilis mortis*, non, ut Salmaſius „ legit, *vilis morti*". Verba ſunt Burmanni, ſic leviter improbantis Salmaſiii lectionem, cui tamen favent Codd. Palatini, indicante Grutero, & Dukero notante alios Codd. cum Palatinis convenire, quibus ille etiam obtemperavit, legens: *gens contumax, vilisque mortis*. Locus eſt Lib. II. c. 6. In quo liceat, quæſumus, aliquid monere de ſignificatione, quam paullo aliter capiendam putamus. *Gens* enim *vilis morti* eſt, quam Mors haud magni facit, cui propter dignitarem non ſolet parcere, e qua multos metit cum exiguo præſtantiſſimarum virtutum damno, quum illi nullas habeant, quæ homines ſolent caros facere, aut pretioſos.

Pag. 492. *Et quod utroque potentius eſt*, inquit

Pe-

Petronius. Nos autem locum iſtum ſemper cepimus ſimpliciter pro *& quod utroque plus poteſt aut majorem poteſtatem habet.* Non ſinit nos diutius errare Burmannus. „ *Potentius* (inquit) ad „ obtinendam veniam & placandum animum. Ita „ *potentas* qui obtinent & impetrant. Ovid. II. „ Art. 294.

„ *Utilitas tua ſit, titulus donetur amicæ,*
„ *Perde nihil, partes illa potentis agit*".

Hoc ſcilicet nobis deerat, quod ignorabamus, ſi quis *potentem* dicat, eum dicere hominem, *qui obtinet & impetrat.* Præterea absque viro egregio ſi fuiſſet, forſan locum iſtum Ovidii, quem ſententiæ ſuæ teſtem citat, numquam intellexiſſemus. Namque per *potentem* putamus ibi deſignari regem, principem, aut hominem divitiis aut honoribus ſummis clarum, qui quam facillime id, quod vult perficere, poteſt ob potentiam, aut imperium, quod habet in alios ſe minores. In errorem nos induxerant ſcriptores veteres, quum *potentes* dicant eadem, quam diximus ſignificatione. Ovid. Triſt. Lib. III. El. 4. vs. 7.

Nam, quamquam ſoli poſſunt prodeſſe potentes,
Non proſit potius, ſi quis obeſſe poteſt.

Humilis & potens opponuntur ab Horatio in fine Lib. III. Carminum:

Ex

Male sit igitur omnibus auctoribus, atque adeo ipsi Ciceroni, scribenti, Fam. Lib. IX. Ep. 16. *Reliquum est, ne quid stulte, ne quid temere dicam, aut faciam contra potentes.* Solus Burmannus novit, *potentes* dici *qui obtinent & impetrant.*

Pag. 495. Burmannus „ Contendit, æque „ commode, si non commodius, dici *contra fas* „ *& legem*, ac *contra fas & jus*, cum *jus* gene„ rale sit, & tam divinam quam humanam æqui„ tatem complectatur ". Legistis sine dubio sæpe in formulis populi Romani. *Si jus, si fas est*, &: *Fas & jus multos faciunt, Ptolemæe, nocentes. Fas & jura sinunt. Si jus, fasque est.* Scilicet *Fas* ad divina, *jus* ad humana pertinere eruditiores judicant, ut *obtestari aliquem per fas & jus* idem sit ac *per jura divina & humana.* Per *leges* autem recte significari *jus scriptum* contendunt iidem, & jura etiam esse non scripta adfirmant, quum gentes quædam fuerint sine legibus, sine jure nullæ. Multum igitur deberent studiosi doctori huic unico, si ille sententiæ suæ firmandæ vel unicum addidisset probati scriptoris locum, in quo *jus & lex*, veluti in formula, sic junguntur, ut ubique *jus & fas.* Nam licet facile plerique credant *æque commode, si non commodius; dici contra fas & legem, ac contra fas jusque*, quia αὐτὸς ἔφα, nihilo tamen minus propter incredulos istos paucos, homines libertatis infractæ, mallemus addidisset.

Pag.

Pag. 498. Habetur hæc Nota: „ *Tutela navi-
„ gii.*] Nota pro hoc loco, quod Pomponius Por-
„ phyrio in Horatium (pete a fratre*, quo lo-
„ co) scribit, lib. 1. Ode 5. *Quis multa gracilis*,
„ ad verba, *Miseri*, *quibus intentata*. In Glossario
„ S. Benedicti in verbis Petronii, Trojæ halosin.
„ DELBEN ". In ima autem pagina legitur:
* *Quis iste frater*? Fatemur sane vix ac, ne vix quidem, observationem istam nobis intellectam esse. Prima cura fuit, videre quid Porphyrio dicat ad locum indicatum, scilicet: „ *Miseri qui-
„ bus intentata.*] Miseros eos ait, quibus ignota
„ & inexperta sit hujus meretricis fraudulentia,
„ se autem more eorum, qui evaserunt mari pe-
„ ricula, vota solvisse, quod amore hujus libe-
„ ratus sit. Videmus autem hodie quoque pin-
„ gere in tabulis quosdam casus, quos in mari
„ passi sint, atque in fanis marinorum deorum
„ ponere. Sunt etiam, qui vestem quoque ibi
„ suspendunt, diis eam consecrantes ". Hæc sane prorsus nihil ad tutelam navigii, aut ad *ramum olivæ à Tutela navigii raptum*, de qua Petronius loquitur, faciunt. Cœpimus itaque quærere, quid ipse Burmannus in Præfatione diceret, de Notis, cui Delbenii nomen est adscriptum, idque eo magis, quod mirabamur insolitum id * *Quis iste frater*? in ima pagina. Is vero miris modis agit, quid cuique debeat, tenebris perpetuis involvens, nisi ubi declamandum est in Gorallum & Ludimagistros. De Pe-

tri

tri Lotichii editione Petroniana agens ibidem satis acriter in hominem immerentem invectus, ita pergit: „ Alteram vero voluminis partem „ meliori mente administravit: Exhibuit enim „ quasdam Alexandri Brassicani, Errici Emmii „ (sive Memmii) Alphonsi Delbenii & Wytsi „ Notas, quas tamen unde acceperit, ne verbo „ quidem monuit ". At, ô Vir sagacissime, id minime verum est. Notæ, quæ, exigui sane momenti, nunc Delbenio adscribuntur, ante Lotichium aliquoties jam lucem viderant hoc titulo: *Innominati Auctoris Emendationes in Petronium*, in Lugdunensi & Francofurtensi editionibus. Lotichius autem indicavit, eas conscriptas esse anno 1563. ab Alphonso Delbenio, Episcopo Albiensi, Abbate Altacombano, atque edidit: *Quas manu ipsius propria scriptas se habuisse Bongarsius nobis affirmavit.* Anne igitur Burmanno adfirmare licuit: *Quas nude acceperit, ne verbo quidem monuit?* Sic solet premere, quibus non cupit; nec Lotichii conatibus favere se profitetur palam. Ergo quidquid ab eo ortum est, nihil valet; nec quid verum sit aut secus curatur, modo premantur Lotichii conatus. Quid? Voces istæ *Quis iste frater?* ab eodem Lotichio primum adscriptæ sunt. Nam in editionibus Lotichiana anterioribus, ubi eædem emendationes leguntur, voces istæ minime reperiuntur. Patet igitur, Burmannum secutum fuisse satis improvide, quem carpit, Lotichium. Oportuerat enim non repetivisse quæstionem *Quis iste frater?*

sed

ſed eidem ſatisfeciſſe; ſi tamen noſter Coryphæus ſatis novit Delbenios, aut adeo certum ſit, emendationes iſtas ab Alphonſo eſſe conſcriptas. Namque fieri poteſt, ut eas codicis ſui margini alleverit Petrus Delbenius, quem Thuanus Lib. XCIX. vocat virum ingenii & elegantiæ doctrina imprimis ornatum. Saltem habemus fratrem quæſitum. Obiit Petrus diem ſupremum anno 1590. Alphonſus, quo amiciſſimo uſus eſt Antonius Faber, ſcripſit de Regno Burgundiæ & Arelatenſi, idque opus anno 1602. Lugduni editum dedicavit Henrico IV. Galliarum regi. Videri poſſet igitur Burmannus nonnihil humani paſſus in accuſando Lotichio, niſi conſtaret contra homines ſemi-doctos quidvis licere, & Lotichium pro ne ſemi-docto quidem a Burmanno haberi & diffamari. Quid vero nos, qui quodammodo veritatem in hac re adſeruimus? Sperandum nobis minime eſt, ut vir ſummus majori nos habeat reverentia, aut locum concedat in doctorum conſeſſu, ne quidem in ſumma cavea, dum huic ipſa Pallas ſedem in orcheſtra dedit, ut teſtatur poëta neſcio quis, quem tamen non putamus ipſum Diploma Palladium ſuis oculis unquam uſurpaſſe. Nos vero in hac re verſantes nondum poſſumus a nobis impetrare, ut Burmanni Præfationem miſſam faciamus. Scilicet ibidem inſigni documento oſtendit, quam parum cogniti illi ſint ſuperioris ſeculi viri eruditi. Theodorum ſcilicet de Juges, qui ſe Latine Jugium vocare ſolebat, non magis novit quam Delbenios, ſcri-

bens eodem loco: „ Annus deinde MDCXXIX.
„ multiplici variarum editionum proventu fertilis magis quam felix fuit. Genevæ enim Theodorus aliquis de Juges, collegit fere omnes notas, quas Erhardus in unum volumen conjecerat, & singulis capitibus, in quæ an primus digesserit Petronium nescio, adtribuit: de se vero nihil addidit ". At vero De Juges fuit Jurisconsultus, qui in eodem genere studiorum versatus est suo tempore, quo nunc vir eximius Petrus Burmannus versatur, scilicet in disponendis, jungendis, & auctorum textui subjiciendis aliorum eruditorum laboribus, & passim observationibus suis addendis; nisi quod De Juges suo sumtu auctores typographis describendos dabat, Burmannus Bibliopolarum pecuniam periclitari mavult. Ne tamen quis nobis credat verbo hæc adfirmantibus, inspiciat Senecæ Philosophi Opera, à Th. de Juges recognita cum omnium commentariis singulis textus capitibus subjectis, quæ (ut titulus habet) *Genevæ sumptibus Th. De Juges excudebat Alexander Pernetus* MDCXXVIII. Et eodem anno ejusdem De Juges studio & industria publicata Senecæ Rhetoris Opera apud Gamonetum, *sumptibus Th. De Juges.* Neque aliter est judicandum de illius editione Petronii, quæ Genevæ apud Mercerium prodiit anno MDCXXIX. aut dubitandum, an ille *primus in capita digesserit Petronium*, quum vel in ipso titulo id adfirmetur. Inprovide videri possit fecisse Burmannus, ita loquens de homine, in eodem stu-

ſtudiorum genere verſanti, verum id artis eſt, veluti ignorare homines, quos nullo honore dignandos cenſuiſti. Nam ſi Burmannus aliquid laudandum in De Juges inveniſſet, pulchrè oſtendiſſet, ſe hominis eruditionem noviſſe: nunc per contemtum ignorat. Videmus nobis ab invidis nomini Burmanniano objici poſſe, revera multa ab eo ignorari, quæ hominem eruditum ignorare turpe eſt. Illi dicent Valerii Andreæ Deſſelii & Franciſci Sanctii Brocenſis uberiores Notationes in Ovidii Ibin, Antverpiæ apud Nutium anno MDCXVIII. editas in Folio, egregie ſane eruditas Burmanno ignotas fuiſſe, quam fieri non potuiſſet, quin, ſi illas noviſſet, præclaræ ſuæ & invidioſæ Ovidii editioni fuiſſet additurus: ſed nos aliter cenſemus de modeſtiſſimi viri conglutinantis laboribus, quos non uni impendit auctori.

Pag. 503. ——— *modo crinibus nitebat*
Phœbo pulchrior & ſorore Phœbi.

Senſus fuiſſet planus & perſpicuus, niſi Burmanni induſtria acceſſiſſet. Fragmentum carminis eſt, quod videtur reſpicere adoleſcentem calvum, quem propter capitis calvitiem puellæ ridebant. Illum dicit Poëta ante *nituiſſe crinibus*, i. e. pulchre comatum formæ decus capillis conciliaviſſe. Burmannus autem in nota ſubjecta diligenter agit de cura capillorum. „ Nitor illc (inquit) unguen„ tis, oleo, myrrha, & ſimilibus conciliabatur". Euge, vir erudite! Sic poteris vel e minimis max-

imam petere & adquirere laudem. *Homo nitet crinibus, & nitor ille unguentis, &c. conciliatur.* Ite nunc Logici, & vestra arte opus esse, perfricta fronte ingerite adolescentibus!

Pag. 505. Ancilla Tryphænæ restituit de pyxide Gitoni supercilia, quum vera illi paulo ante supercilia essent novacula & abrasa & in mare conjecta. Encolpius id narrans inter alia hisce verbus utitur: *Sciteque jacturæ lineamenta secuta, totam illi formam suam reddidit.* Si quid difficultatis isti loco inesset, id omne foret quærendum in voce *jacturæ*, quæ tamen valde apposite & eleganter hoc loco adhibita esse videturr. *Jactura* enim sunt supercilia in mare conjecta; & *lineamenta jacturæ* sunt signa sive indicia loci, quo fuere supercilia. *Facere jacturam* quid proptie sit, & qui dicantur, notius est, quam ut egeat longiori explicatione. Burmannus tamen pronuntiat locum sine dubio corruptum, & multas conjecturas proponit, quia *jactura* nauci non est, ut putat. Tandem emendat: *Scitaque formatura lineamenta secuta*, &c. Quid enim? Si *jacturæ* verum & genuinum fuisset, in adferendis Suetonii & Propertii locis eruditionem ostentare Burmannus hoc quidem loco minime potuisset, & nos conjecturis tam necessariis fraudati fuissemus.

Pag. 510. Narratur cadaver notissimæ istius Matronæ Ephesinæ *positum in hypogeo.* Ad quem locum observationem longiusculam ita inchoat Burmannus: „Scribendum *Hypogeon*, Græcis „ enim ὑπόγειον, non ὑπογαῖον". Et post quædam:

dam: „ Apud Gruterum tamen pag. MCXIV, „ 3. YPOGAEUM legitur, ſed vitio marmo- „ rarii". Semper dignus in orcheſtra ſedere in eruditorum conſeſſu Burmannus, nunquam autem dignior quam cum Græca adtingit. Tum totam exſerit eruditionem, & quantus re ſit verbis oſtendit. YPOGAEUM vitium Marmorarii pronuntiat. Recte. Tu igitur compoſita omnia cum voce γαῖα, quæ plurima reperiuntur in Stephani Theſauro L. Græc. Tom. I. p. 803. dele tanquam vitioſa. Ipſum *Hypogæum*, quod ibidem occurrit, absque ulla tollatur miſericordiá. Herodianus Lib. I. c. 15. eſt corrigendus, quum ibi legantur λέοντες ἐξ ὑπογαίων, *Leones ex Hypogæis* Salmaſ. ad Solin. p. 849. aliquoties *hypogæum* & *hypogæa* ſcribens ad Burmannum noſtrum collatus nimius nugator eſt.

Pag. 519. In ejusdem fabulæ narratione pergit Eumolpus: *Quid diutius moror?. ne hanc quidem partem corporis abſtinuit, victorque miles utrumque perſuaſit.* Attendite vos Critici futuri, qui more modoque Burmanniano auctores veteres aliquando eſtis emendaturi, veſtramque illis mentem commodaturi, ad ſingulare viri ſummi in hoc operis parte artificium. Data ſcilicet opera ille textum corrupit, ut explicatio ſua locum haberet, quam, quod illa eſſet ipſius indoli convenientiſſima, & adoleſcentes ignara audiendi cupidos alliceret, huic loco inſerere voluit. Nos vero, ut clarius eluceſcat artificioſiſſima annotandi ratio, inverſo ordine rem proponemus; id eſt,

 lo-

loquemur prius de nota a Burmanno addita, quam de textu. Quid legatur eo loco jam diximus. Hæc vero notat vir salacissimus *: „Frustra hic sudant „ interpretes, cum facillima sint verba, neque „ Heinsius, qui obscura putabat, debuerat aliquid „ mutare. Non enim per *partem* hic muliebris „ sexus nota, sed virilis est intelligenda, quam „ impudicus Eumolpus inter narrandum nantis ab „ ejus ore pendentibus digito suo monstrabat. Eo- „ dem modo, ut ipse Hortorum custos Carmine „ libro V.

„ *Totamque hanc sine fraude, quantacunque est*, &c.

„ Et sæpe alii auctores pronomen hoc δεικτικῶς „ ponunt. *Pars* autem pro ea, qua viri sumus, „ passim in Carminibus Dei Hellespontiaci occur- „ rit, &c. Eumolpi autem *partem* intelligi, docet „ vox *abstinere*, quæ, si cum quarto casu construa- „ tur, ponitur pro abstinere se a re aliqua. Non „ solum ergo matrona blanditiis evicta, se absti- „ nere a cibo, cujus odore icta erat, non potuit, „ sed neque a formosi & non infacundi juvenis „ parte, quæ matronis non fatuis monstrata ipso „ cibo gratiores delicias promittere solet, & castis- „ simæ hujus viduæ omnem dolorem & tristitiam „ penitus exturbare poterat". Quis non videt, hæc e penitissimæ eruditionis penu esse hausta. Adeo verum esse videtur viro summo quod annotavimus supra de menta pusilla manus puellares alliciente. Quam efficaciter, & quam ἐναργικῶς, describit

* *Ita videtur aberrante calamo scriptum pro* sagacissimus.

ſcribit naturæ muliebris myſta illarum deſiderium, quæ *non fatuæ* illam partem intuentur! Eleganter enim *non fatuæ* ea parte dicuntur mulieres, quas delectat irritata voluptas. Ideo quondam a Burmanno ſimili viro erudito ſubſcriptum fuit imagini meretriculæ famoſiſſimæ, quæ vel reges gremio exceperat:

Eſt hæc non fatui puella cunni.

In nervum tamen homini Latinitas ſua erupit, cum forte chalcographus adſcripſiſſet *Cum Priv. Ordd.* namque ſatis vigilem fiſci procuratorem expertus rebus corrigere debuit, quod verbis peccaverat. Verum de diverticulo in viam. Tota iſta obſervatio quantacunque & qualiscunque ea eſt, videtur ante conſcripta, quam vir celeberrimus textum expenderat debita diligentia; quam cum poſtea videret ſuæ obſtare explicationi, maluit corrumpere textum, quam inducere quæ tam appoſite ſcripſerat. Octo editiones conſuluimus, quæ omnes ſine ulla lectionis varietate habent: *Ne hanc quidem MULIER partem corporis abſtinuit.* Quare ſuſtulit Burmannus vocem *mulier*, lectore ne quidem admonito? Cauſa patet. Ne ſcilicet obſervatio de menta parva ſibi periret, quæ locum habere non poteſt, ſi militi tribuas, ut Burmannus facit, quod aperte, & ſecundum expreſſam in textu vocem, mulieri erat tribuendum. Capite hinc exemplum Critici novitii, qui circa illum eſtis, ut diſcatis in tempore, non obſervationes veſtras adcommodare vetuſtis auctoribus, ſed au-

ctores vetustos observationibus vestris. Nos vero locum ita interpretari malumus, bona cum vestra venia, ut *hanc partem* dicamus esse mulieris partem, quæ per excellentiam ita vocatur, & satis intelligitur, etiamsi digito non monstretur, aut tangatur.

Pag. 520. Mansuetus animus & mens a jurgiis abhorrens sunt certe signa prudentiæ; at si quis animum gerat ferum, & mentem habet jurgiorum cupidam, eam haud recte prudentem dixeris. Fieri tamen potest, ut vir prudens indignis modis acceptus, data occasione existimationem suam vindicet verbis asperioribus, quum socordis sit, non prudentis, se ipsum & sua negligere. Verum data opera ultro in immerentes invehi, modum non facere verborum petulanter effutitorum insaniæ, id quidem prudentis hominis non est. Nulla tamen re videtur magis delectari Burmannus, quam usque & usque in alios eruditos congestis contumeliis. Si carrucarios præceptores habuisset, non Grævium sedato ingenio virum, difficile non esset videre, unde istam maledicentiæ copiam nactus sit. Nunc vero incertum est, nisi dicamus didicisse ab infimæ sortis perditissimis hominibus, quibuscum an unquam vixerit nos pro certo adfirmare tamen non possumus. Livius narrat, Gallos in pensione auri ponderi gladii capulum adjecisse, & querentibus Romanis respondisse *Væ victis!* Nos vero non pejori jure *væ* dicendum putamus iis, quos odio pessimo, id est suo, persequendos unquam censuit Burmannus. Testis est præsertim

tim Clericus, quem ultra modum & decori terminos persequens, indignissimis exagitavit modis. Ne vero quis putet, hæc a nobis temere adfirmari, dabimus aliquot loca ex observationibus in Petronium, quibus intra paucas paginas impotentis animi deliria in Clericum evomens, huic quidem eruditionis laudem aliquam, sibi vero probitatis & modestiæ famam omnem abrogat. Sit initium a pagina 520. ubi hæc legimus de Clerico:
„ Logices suæ præsidio, ut Orci galea, tutus Phi-„ losophus, qui omnes Grammaticos ratiocinandi „ artem non intelligere superbe semper jactat, &c. „ Nos ergo Goralli exemplum secuti, *non paremus* „ *despotico Philosophorum imperio* in republica lite-„ raria, & quæ certa videntur *dictatoribus illis*, no-„ bis non modo dubia, sed plane falsa videntur". Pag. 547. „ Potuisset inde quidam pansophos (qui „ poëtas philosophari primum voluit, & ex artis „ Logicæ præceptis carmina non præcipitare per „ tormentum, sed languide prorepentia eructare) „ sine ope bonæ suæ Logicæ intelligere, *illum non* „ *esse sermonem poëtarum adstrictum numeris*, neque „ etiam ita vocari *argumenta philosophica*, *ob certum* „ *numerorum enuntiationum*, quibus nihil puerilius „ & jejuno Logico dignius excogitari potest, &c. „ Merentur tales poëtarum interpretes ex Helico-„ ne, si eum invadere vellent, rotari, aut furcillis „ & tormentis abigi ". Eadem pagina sequuntur plura ejusdem generis; sed antequam ea adscribimus, observandum est singulare viri summi artificium, quo verba: *ob certum numerorum enuntia-*

tionum, pro *ob certam numerorum enuntiationem* esse posita, & vitiose relicta, ut Clericus eo videretur magis mota mente sua scripsisse. „ An hunc” (pergit paullo post omnis Logices & Philosophiæ totius inimicus) „*spiritum liberum* exercitati vul„tus pædagogis illis inesse credamus, aut scire quid „sit liber ille poëtarum spiritus, qui quotidie nobis „in exponendis poëtis, quos non capiunt, & Ephe„meridibus ad impune maledicendum, & rem fa„ciendam, compositis, occinunt, poëtas legibus „& necessitate metri coactos & invitos ineptiisse, „cum aliter locuturi fuissent, si soluti fuissent illa „metrica servitute & legibus Pedis? ὄνος λύρας. Si „unquam experti fuissent, quod Ovidius de se „puero jam jactabat:

„ *Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos*;
„ *Et, quod tentabam dicere, versus erat*.

„aliter censerent. Sed nunc, cum reptaverint per „nescio quas prosodias, Thesaurus Poëticos, & „similia infelicium ingeniorum præsidia, & post „mali carminis unius & alterius eructationem, cum „se derideri videant, convertunt linguam sacrile„gam in artis, ad quam adspirare non potuerunt, „contumeliam, &, quos vivos ne obliquo quidem „sermone tangere, metu tormenti poëtici, quo „tela in plumbeos hos homines facillime expelli vi„debant, audebant, sed quibus humiliter adula„bantur, iis post funera insultare audent ”. Vera si dicis, Burmanne, omnium tyrannorum, tam in literis, quam in rebuspubl. idem est fatum. Nemo

mo illis viventibus audet sese commovere metu supplicii, utut injusti; sed fato postquam functi sunt veritas, quæ eousque timide latuerat, caput tollit, & eorum cum impotentiam, tum crudelitatem & iniquitatem quorumvis oculis exponit. At nos pergamus. Pagina 577. „.....ostendit Janus „Brouckhusius, cujus inexhaustas lectionis divitias, „& ingenii copias, dum stupet eruditior orbis, je- „junus & nudus quidem Gallulus, qui nihil in li- „teris nostris unquam, nisi ex Lexicis & Thesauris „publicis compilatum, proferre potuit, & tamen „sibi δοκησίσοφος egregie placet, maledico dente „nuper carpsit, & cujus viventis oculos sustinere „non ausus fuisset, degener vulturius cadaver la- „ceravit". Ibid. „Grandis ille & magnifici nomi- „nis adoptator Gorallus, ex Lexicis suis sapiens, „egregiam nobis notam obtrudit. Euge! belle! „σοφῶς! quid non facit bona Logica? Pag. 580. „Sed „ohe! jam satis est. Goralli ferulam & scuticam me- „tuo, si in re nota plura constipem". Quid hoc furoris est, quod Burmannus ubique necesse habeat telum in Clerici corpore defigere? Ubique, dicimus; nam ut alia e Petronianis adnotamentis mittamus, dabimus etiam partem posteriorem Horatio a Burmanno MDCCXIII. præpositam. „Fur- „cilli" (inquit diligens Catulli lector) „ex Musa- „rum sacratissimis templis ejiciendos censeo, qui „ab omni humanitatis & elegantiæ studio nudi, & „post omnem ætatem in solius Barbariæ meditatio- „ne transactam, sperant se per sordidas vanissimæ „sapientiæ lacunas, ad limpidos elegantiæ poëticæ „fon-

„fontes posse penetrare. Manum a poëtis emen-„dandis, vel etiam explicandis, certe continere „deberent Goralli, & mercenarii illi Ephemeri-„dum consutores; quibus mancipiis cum nec bo-„nam mentem natura dederit, & perpetua men-„dicitas, aliorum semper reliquias semesas arro-„dere, & panem atrum ex hesterno locupletiorum „jure devorare cogat, numquam verum poëticæ „suavitatis gustum assequentur, sed elegantoribus „benignam risus & jocorum materiam præbe-„bunt". Sic insanientis consultus sapientiæ errat! Una morte & Logicum & Logicam ipsam confice-re Grammatico parum videtur. Eandem ubique cantilenam canit. Diceres homini propositum esse in eo dicendi genere exempla aliquot relinquere, quibus postea Critici juniores discerent inimicos lacerare, & se ipsos artemque Criticam deridendam prudentiori cuivis proponere.

Pag. 523. *Erubescente non mediocriter Tryphæna, vultum suum super cervicem Gitonis amabiliter posuit.* Eleganter sane. Neque reponendum est *Erubescens* &c. Cum oratione in eadem persona subsistente ablativus a fronte verbi interdum nominativi locum occupat. Genuinus germanus plane huic est locus e Dionys. Halic. Ant. Lib. III. cap. XLIX. p. 179. Ταρκυνίου δὲ τὴν ἀρχὴν παραλαβόντος, τὰ Λατίνων αὖθις ἤρξατο φρονεῖν. i. e. *Tarquinio regnum accipiente, Latinis iterum favere cœpit.* Quem locum profert Dausquejus ad Quinti Smyrn. Lib. III. vs. 319.

Τοῦδε ἑταίρους ἐπάρησε, καὶ ὑταμένου περ Ὀδυσσέως.

Id

Id est: *Imperium in ejus amicos fecit, quamvis saucius Ulysses.* Non desunt igitur exempla similis elegantiæ apud Græcos, idque non diffitetur Burmannus ad hunc locum. Et tamen scribit: „Forte *erubescens*, quamvis & exempla occurrant, ubi ablativus ille absolutus præmittatur verbo, quod primum casum requirit". Nec addit, quare istam elegantiam è Petronio sublatam velit, quod tamen videbatur faciendum, nisi Criticus ille absolutus a se rationem exigi jure suo non putavisset iniquum.

Pag. 525. Reperiuntur verba quædam alia literarum forma, quam typothetarum filii currentem, aut cursivam vocant. De istis verbis ita Burmannus: „Absunt ab antiquis editionibus, ut & alia „ quædam, quæ diverso charactere expressimus. „ Et certe quæ primus (*ita legitur*) intrusit mala „ manus, debuisset indicare, unde sumserit". Diceres vix a quoquam indagari posse, unde ista verba in textum irrepserint, quum vir eruditissimus, in Petronio pervolutatus, id reperire nequiverit. At tu vide solum Commenta Gonsalii de Salas, ab ipso Burmanno huic editioni subjuncta, ad hunc ipsum locum. Ea totam rem aperiunt. „ Sublestæ „ (inquit) ut puto, fidei istud fragmentum Parisinæ editionis, mihi jam supra laudatæ, hic haud „ importune inseri passi sumus. Quod deinceps „ & aliis condonare in animo habemus; illis præcipue, quæ prisci sensus nimirum præbeant aliquod, etsi levidense, vestigium. Quod semel „ hic (nam supra aliis locum usque adhuc non „ fecimus) Lectorem commonere satis sit, præ-

„ ter-

„ terquam quod ipsa Characterum differitas si-
„ gnanter abundeque propalet spurium ipsorum
„ genus". Gonsalius igitur, Bourdelotium (qui undecim annis ante se Petronium Parisiis ediderat forma, quam vocant, octava, cum notis Criticis, quas deinde interpolatas in Belgio edidit Hermannides) secutus, *ab eo sumsit*, ut palam indicat. Gonsalii textum expressit Gabbema, quem posteriores sunt secuti, atque etiam Burmannus. Quam provide igitur Burmannus suam observationem de *mala manu* allevit huic loco!

Pag. ead. *Sed nec certos fluctus ventus impulerat*. Variantibus in tempestate (de ea enim agitur) ventis, mare nunc huc inpellitur, nunc illuc; nec ipsi fluctus tenent cursum certum. Ista nobis videbatur vera istius loci sententia, & maxime conveniens sequentibus, ubi ventus varia dedisse littora, prout nempe mutabatur, dicitur. Meliora tamen nos docuit doctor ὁ πάνυ, qui ad verba minime difficilia intellectu ita commentatur: „ Nihil mutarem. Ventus non impellit certos fluctus, id est æquales, & inter se similes, sed, ut in tempestate fieri solet, qui modo ad cœlum navem evehant, modo ad fundum deprimant. Aliquando remissa vi, ut videtur, procellæ minores, deinde sævitia ventorum ingruente majores fluctus mare volvit". Non est sane cujusvis, sed hominis rerum Physicarum peritissimi, & Philosophi acutissimi, Petronium ejusmodi emblemate vermiculato ornare.

Pag. 527. *Tryphænam autem prope jam fidelissimi*

ſimi rapuerunt ſervi. Ita quidem edidit celebert. Burmannus. Aliæ editiones plane exhibent *properam* ubi nunc legitur *prope jam*. Rittershuſius, Barthius, & præſertim Erhardus, confirmarunt lectionem veterem, quoniam veteres loco adverbiorum adjectiva, quæ nunc amplius in uſu non ſunt, ſolebant ponere, ut *properus* adjectivum, ubi nunc *propere* adverbium eſt uſitatius. Sic *promiſcue* & *promiſcuus*, &c. quæ, indicante Erhardo, reperiuntur in Guilelmii Quæſtionibus Plautinis. Burmannus autem notavit: „ Neſcio, an captaverit Petronius antiquam illam „ vocem *properam*, & cujus nullum apud vete„ res, quod ego quidem ſciam, occurrit. Quare „ reſtitui antiquarum editionum ſcripturam *pro*„ *pe jam* ". Ergo e Lexicis tollenda vox *properus*, quæ ſi Burmannus dignatus fuiſſet conſulere, reperiſſet ex Ovid. Metam. Lib. VII. vs. 647. *Ecce venit Telamon properus*; & alia alibi, quæ nunc omnia' mutanda ſunt in *prope jam*.

Pag. 538. Agitur de ſignificatione verbi *ſuſtinere* cum infinitivo, quod ajunt poni pro audere, ſive in animum inducere. *Ita*, inquit Grammaticus noſter peritiſſimus, *ſæpe Suetonius uſus eſt hac voce*. Deinde addit: *Sed & ſine infinitivo elegantiſſime poſitum vim habet eandem*; & præter alia minime eo facientia profert locum Livii e Lib. XXXI. cap. 13. *Senatus querentes eos non ſuſtinuit*. Ubi *ſuſtinere* ponitur pro *pati*, *ferre*; id eſt ſenſu omnino alieno a mente Villici apud

Pe-

Petronium loquentis, cujus tamen verba erant explicanda. *Senatus non sustinuit eos querentes, si in Punicum bellum* &c. quæ ibi pluscula sequuntur, & accusativi vicem implent. Id est: *Senatus non tulit, Senatus non passus est*; quum scilicet æqua postularent isti homines, & tamen solvendo æri alieno non esset res publica, censuit senatus aliquid esse decernendum, quo illis quodammodo satisfieret. Quid, quæsumus, locus iste (nec aliud est statuendum de loco Ciceronis e Fam. V, Ep. 10. ibidem prolato) facit ad verba Petronii: *Urbanioris notæ homines sustinetis semper mentiri?*

Pag. 547. *Per ambages, deorumque ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum, præcipitandus est liber spiritus.* Sermo est de poëtis spiritu quodam veluti divino afflatis. Recte Barthius reposuit *torrentem sententiarum.* Scilicet poëta tum demum laudandus est, quum

Monte decurrens, velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet, immensusque ruit profundo
Spiritus ore.

Non recepit tamen Burmannus lectionem Barthii, sed mavult *tormentum* retineri, at *alludi ad machinas bellicas.* Ita scilicet solet caveri, quod ille monebat, ut translatio sit verecunda, ne verba in alienum locum irrupisse, sed in suum locum venisse videantur.

Pag.

Pag. 549. In carmine de Bello Civili: *Qua sidus currit utrumque*, Latinae linguae paullo peritior non poterit non statim capere pro Oriente & Occidente, quum *sol oriens* & *sol occidens* revera a poëtis sic soleant adhiberi. Barthius ita capiebat. Erhardus firmandae sententiae adscripsit verba Claudiani de Roma in Bell. Gild. vs. 48.

Ad solem victrix utrumque cucurri.

Quibus adde ex Ovidii Metam. Lib. III. vs. 538.

Litora voce replet sub utroque jacentia Phœbo.

Nihilo tamen minus Burmannus, ne Barthio, Erhardo, aliis adsentienti eriperetur occasio de suo aliquid addendi, *per sidus utrumque solem & lunam mavult intelligere*; & multis adstruit, post Tennulii ad Frontinum Observationes *sidus* pro sole, & interdum pro luna poni. ô Felicis ingenii eximium documentum!

Pag. 551. *Æs pireum cum laudabat miles in unda*, edidit Burmannus plane nullo sensu, quia veteres editiones & codd. ibi variant. Suave sane est, quod Burmannus maluit ex variantibus MSS. & editionum priorum lectionibus exhibere, quae nullum efficit sensum, quam quae aliquem. Ponamus utique omnes esse corruptas; ea tamen melior est, etsi forte non vera, quae saltem aliquem sanum efficit sensum. Locus sane est corruptus, in quo restituendo multi

ſuam exercuere induſtriam. Editiones Burmanniana priores legunt:

Aſſyria concham laudabat miles in unda.

Senſu ſi non commodo, at ſaltem aliquo. Quod ſi huic loco adſcribere vellemus conjecturas aliorum, nullus finis eſſet futurus. At vero, ſi videre voles, vide, ut Erhardus hoc loco Wouwerii ſcrinia compilarit; at vide id in aliqua editione veteri. Nam in editione Burmanniana non comparet Wouwerii nota, ne illa Erhardi ſcilicet luminibus officeret. Digna tamen erat, quæ adderetur, partim quia Burmannus integras obſervationes Wouwerii pollicitus, integras dare debuerat; partim ut ſuus parenti vero fœtus redderetur. Quid vero prohibet nos adſcribere integram Wouwerii notam ex editione Amſtelædamenſi anni MDCXXVI. pag. 237. & Genevenſi Theodori de Juges, anni MDCXXIX. pag. 323. ut tanto facilius harum literarum amantes poſſint judicare de æquitate Burmanni Erhardo transſcribentis quod Wouwerii erat, & præterea quædam omittentis, quæ neceſſario fuerant addenda, ſiquidem conglutinare facile ſuperioribus ea licuiſſet? Nihil ſane. Ecce igitur illam:
„ *Aſſyria concham.*] Alii *Æſopyreum. L. Ac ſeſe*
„ *pictum miles l. i. u.* Turneb. Palmerius totum
„ locum ita emend.

„ *Æs*

„ *Æs Ephyræum l. miles: in udâ*
„ *Quæsitus t. n. c. ostro;*
„ *Hinc Numidæ lapides* —
„ *E. a. c. & læsæ v. pacis:*
„ *Q. i. s. Mauris fera, & v. b.*
„ *Excutitur.* —
„ *Ad mortes pretiosa: fames p. a. classes,*
„ *Tigris & a. g. jactatur in aulâ.*
„ *Ut b.* —
„ *H. p. offari, parituraque prodere f.*

„ *Æs Ephyræum* est Corinthium. Juvenal. *E-*
„ *phiræum.* Virgil. *Ephyreïum.* Quæritur æs
„ Æphiræum esse in amore militi, quod armis
„ non faciat: illud quod faciat non esse. *Numi-*
„ *das lapides* vocat columnas & marmora Nu-
„ midica contemtim. Illud: *H. Numidæ accu-*
„ *sant*, unde Turnebus *accurant* alia occasione
„ subrepsit, cum scriptum esset *Numidæ lapides;*
„ id ne quis arbitretur nominandi casu esse, fue-
„ rat, qui ad oram adscribebat *accusat* esse,
„ hoc modo: *accusat. Mauras silvas*, ut Ho-
„ rat. *Maura jacula.* — *fames premit a. classes.*
„ Classe ex Ægypto Romam commeatus porta-
„ batur. At Impp. eo dementiæ venerant, ut
„ annonaria classe feras, ac Circo arenam pe-
„ terent. Sueton. Nerone. *Paritura fata*, jam
„ pridem fata perniciem parturiebant Rom. nunc
„ paritura. I. a Vov." Ita sane legitur in utra-
que editione, quæ si in vetustioribus non com-

pareant, & Wouwerio abdicanda videantur, saltem monuisse oportuerat. Quid vero Burmannus? Ne verbum quidem. Non miscet sese fluctibus tantis. Ne quidem Gronovii, aut Vossii ad Melam III, 10, 20. conjecturas profert. Simpliciter *fatetur sibi aquam hærere.* En insignis modestiæ exemplum insigne. Burmannus ille, ille Burmannus, qui quondam, quem omnes (nostis sine dubio cetera) *fatetur sibi aquam hærere!* Nihil tamen facilius erat quam legere cum vetustis editionibus:

Assyriam concham miles laudabat in armis.

Id est, miles delectabatur purpura, sive vestibus purpureis. *Miles in armis* ponitur pro *Miles armatus*, quemadmodum *Miles sub armis* etiam pro miles armatus ponitur. Per *Assyriam concham* purpuram intelligendam concedet, quisquis memoria tenet Vrigilii verba, qui in Culice, vs. 61. dixit:

Si non Assyrio fuerint bis lauta colore
Attalicis opibus data vellera.

Pag. 554. *Ne desit bellua dente, Ad mortes pretiosa fames, premit advena classes Tigris*, &c. Locus prava distinctione & pejori explicatione laborat. Longissimam notam adposuit vir celeberrimus, cujus tota summa eo redit: „ Sensum Petronii videre videor, sed non expedio

„ me

„ me ex constructione verborum. Vult enim „ elephantos peti ob solos dentes, qui, cum „ sint minima tantæ belluæ pars, tamen pre- „ tium totius faciunt". Nos vero non videmur nobis videre, qua visione Burmannus id sibi videri videatur posse adfirmare. Quibus fideculis, quibus incantamentis ejusmodi sententiam ille ex istis Poëtæ verbis extorquere aut elicere potest? Nobis sane locus planus & intelligibilis, si quis alius in toto carmine, videtur; sed longe aliud significans. Primo ita distinguite:

Ne desit bellua dente
Ad mortes pretiosa, fames premit advena classes.
Tigris & aurata &c.

Et deinde exponite: Classes Ægyptiæ onustæ sunt, non frumento, ut debebant, sed habent feras, & arenam Circo; atque ita nos jubent esurire, ac si famem adveherent, ut esset locus belluis vasto corpore transvehendis. At quibus? Quæ scilicet ideo sunt pretiosæ, quod homines dente possint occidere. *Tigris & aurata* &c. pertinent ab sequentia. Licet vero hæc nostra explicatio sine dubio vera sit ac certa, cavete tamen, quiqui estis, illam sequi. Burmannus etiam ubi errat, bene scribere censendus est. Hoc præstat Origeni.

Pag. 564. *Præterea gemino deprensam gurgite prædam*
Fœnoris ingluvies, usus que exederat aeris.

Fœnus, inquit, & usura consumpserant prædam gemino gurgite. Scilicet Cæsariani Româ veluti captâ potiti erant magna præda, sed non multum eos jutura, quos jam ante hinc fœnus, inde usura exederant, gemino gurgite, qui prædam omnem absorbsit statim. Eadem ratione Burmannus locum istum capere potuisset, ni ad eruditionis opinionem conducibilius fuisset *locum corruptum* pronuntiare, *plebem* lege pro *prædam*, quia scilicet intelligi non potest quid sit *prædà deprensa gurgite gemino*. Id quidem verum putamus, sed ita jungere verba nemini sano in mentem veniet. *Prædam deprensam geminus gurges exederat.*

Pag. 568. *Volucrem* vocat Fortunam Eumolpus Petronianus. Quid vulgatius, quid obvium magis quam *Fortunam* dici *volucrem?* Nihilominus Burmannus, doctor tempestivus & intempestivus, arripit inde occasionem docendi, *Occasio* est eadem quæ *Fortuna*. Supra, ut ad pag. 398. observavimus, ex una Fortuna duas fecerat, hic vero ex Occasione & Fortuna duas facit, haud aliter atque præstigiatores circumforanei solent nuces miristicas pro lubitu multiplicare. *Occasio* & *Fortuna*, apud Græcos Καιρὸς

&

& τύχη, ut nominibus, ita re diversæ hucusque imperitioribus visæ sunt. E Phædro enim didicerant:

Cursu volucri pendens in novacula,
Calvus, comosa fronte, nudo corpore,
Quem si occuparis, teneas: elapsum semel
Non ipse possit Jupiter reprehendere;
Occasionem rerum significat brevem.
Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem temporis.

Atque meminerant, à viris doctis observari non *Fortunæ*, sed Καιρȣ̃, quem Ausonius *Tempus tempestivum* vocat, effigiem describi. Fortuna vero ipso hoc loco elegantissime dicitur

Rerum humanarum divinarumque potestas,
Quæ nova semper amat, sed mox possessa relinquit.

Ea est, quam Horatius inquit ludum insolentem ludere nunquam desinere, quamque præter alios egregie effinxit Ausonius Metro I. Lib. II. Consol. variis veterum locis paralelis a viris doctis illustratus. Dubium non est, quin hæc omnia doctus Burmannus legerit, & in numerato habeat; ideoque oportet, quum contraria istis doceat, causam subesse aliquam, quæ eum impulit ad istam sententiam. Tutius igitur facient literarum studiosi sequentes Burmanni quam veterum auctoritatem.

Pag. 570. —— —— *Perfossa dehiscit*
Molibus insanis tellus, jam montibus haustis
Antra gemunt: &, dum varius lapis invenit usum,
Inferni manes cœlum sperare jubentur.

Declamator poëta, sub Plutonis persona, ibi invehitur in insanum ædificandi studium Romanorum luxu diffluentium, & jam nihil adpetentium nisi domos magnas de marmore factas, aut eo incrustatas; idque declamatorie exaggerat. *Montibus haustis antra gemunt*, inquit, id est, dum montes exhauriuntur, sive dum lapides cæduntur in lapidicinis, antra resonant a ferramentorum, quibus lapides a reliquo monte avelluntur, ictibus: quo fiet, ut tandem manes sint intuituri cœlum, omnibus scilicet supra se excisis, si modo tantum marmoris aliqua ratione potest adhiberi, sive, ut ipse loquitur, *dum varius lapis invenit usum.* Ita omnia sunt plana & intellectu facillima. At quid in istis planis & intellectu facillimis possit, aut prosit, commentatoris eruditio? Inventa est igitur obscurandi ratio. Audiamus Burmannum. „ Cum gemere „ (inquit) proprie dicatur de rebus, quæ nimio „ pondere premuntur, nescio an non Delbenii „ conjectura sit præferenda:

„ *Jam*

„ *Jam montibus auctis*
„ *Antra gemunt.*

„ Ut *montes* vocet inſanas illas moles ædificio-
„ rum, quæ ad ſidera educta montium nume-
„ rum augent, & terram, quæ interius in an-
„ tra & ſpecus eſt excavata, premunt ". Et poſt quædam alia: „ Ego cum illis facio, qui „ legendum cenſent *Varius lapis invenit uſum.* „ Intelligit autem teſſellata & ſectilia ". Fiat lux, quæſumus Burmanne. Undique ſunt tenebræ in iſta explicatione. *Varius* enim lapis non alia ratio dici videtur, quam qua *angues varii*, *flores varii*; *columbæ variæ*, & apud Terentium *veſtis varia.*

Pag. 571. Pergit Pluto:

Nec mea Tiſiphone ſitientes perluit artus,
Ex quo Syllanus bibit enſis, horrida tellus
Extulit in lucem nutritas ſanguine fruges.

Ante quam ad hunc locum Burmannianam explicationem, eruditam, per Jovem! & bonæ frugis plenam, adſcribimus, monendi ſunt literarum ſtudioſi, veteres editiones, præſertim Francofurtenſes & Genevenſem ultimam, quas conſuluimus, exhibere medium verſiculum una vocula auctiorem: *Ex quo Syllanus bibit enſis, & horrida tellus* &c. Tiſiphone ſcilicet fingitur queri, nihil ſanguinis effuſum eſſe poſt Syllana

tempora, quæ illa περιφράζει duobus versiculis, quando nempe ensis Syllanus bibit sanguinem, & tellus inculta fruges nutritas sanguine in lucem extulit. Nos sane ita intelligebamus ante quam nota Burmanni ad hunc locum nobis erat lecta. Verum, ut aliis eruditis aliorum auctorum explicatio melius solet procedere, ita Burmanni acumen præsertim elucet in poëtis explicandis. Sic ille: „ *Horrida tellus,*] Si horrida sit, quo„ modo fruges efferat? Deinde non puto, poë„ tam nostrum ultimam in *ensis* sine cæsura pro„ ducere voluisse. Scribendum puto *sordida* tel„ lus. Prima litera adhæserat ultimæ τοῦ *ensis*, „ & *ordida*, quod restabat, à librario in *horrida* „ fuit mutatum. *Sordida*, ergo, *tellus*, & ma„ defacta sanguine belli Syllani & Mariani, ab „ eo tempore quievit, & quasi lætamine aliquo „ illo cruore pinguefacta, extulit fruges. Qua„ re jam fas esse ait, iterum bella moveri & „ agris vastitatem induci. &c." Denuo nos fatemur meram caliginem posse videri istam notam imperitioribus; sed illi, ad nostrum illum, nihil sapiunt. Nec erratum a Burmanno est, explicando locum vitiose in Amstelædamensi editione exhibitum, typothetis & omittentibus. Si enim ista fuisset a Petronii manu, vir sagacissimus statim id odoratus fuisset.

Pag. 576. ——— ——— *Rupta tonabant*
Verticibus lapsis montis juga.

Id est: cum cacumina montium deciderent ingentem

gentem fragorem & veluti tonitru edebant ipsi montes, seu montium juga, quæ sic rumpebantur. Mirum quidem videtur ipsa montium cacumina dici rupta decidisse, verum inter prodigia id a poëta numeratur, quod inspicienti locum facile pateret, nisi obstaret eruditissimi Burmanni observatio, longe alio studiosorum mentes abducentis. „ Habent (inquit) omnes editio-
„ nes & Traguriensis *lassis*. *Lassi* autem mon-
„ tes poëtice dicuntur à frequenti & toties ite-
„ rato illo sonitu, quem edebant ". Etiamsi hæc observatio videatur imperitis aliena a Petronii mente, tamen id habet commodi, quod doceat acutiores, quanta fides verbis Burmanni insit. Editiones scilicet veteres habent *lapsis*, non *lassis*, Coloniensi forte excepta; sed id ita finxit Burmannus, ut tanto majori cum eruditione *lassos montes* explicaret.

Pag. 577. *Armorum strepitu cœlum furit*. Emendat vir περιβόητος *Armorum crepitu* Broukhusium, delicias suas, secutus. At quare emendat? Mendum nullum est. *Armorum strepitus* sensu diverso non minus recte dicitur quam *armorum crepitus*. Immo Broukhusius ipse, dum ad Tibull. II, v, 73. hoc loco *Armorum crepitu* vult legi, e Cicerone tamen ipso, De Harusp. Resp. c. 10. profert: *Exauditus in agro propinquo & suburbano est strepitus quidam reconditus & horribilis fremitus armorum*. Nos, qua sumus simplicitate, putamus alterum altero melius non esse, sed pro diversa significatione, alterutrum recte adhiberi. Nihilo tamen

tamen minus Burmannus denuo cupide arripuit occasionem maledicendi Clerico, hosti non anniversario, sed perpetuo, auso ingenti Broukhusio obloqui, & in eum dicit quae in stultos & blennos solent, & quae huc transscribere piget, licet illum nec pigeat, nec pudeat miserum Clericum sine fine persequi & exagitare. Nec piget, dicimus, nec pudet. Nam eadem pagina denuo acerbe nimis in Clericum debacchatur, acsi eum infra omnes homines infimos putaret. Turpis tamen habebitur causa, ob quam ibi Clericum exagitat, non a Burmannianae eruditionis asseclis, sed ab aliis literarum studiosis quibusvis, veritatem vesano furori maledicendi praeponentibus. Cognoscite, quaesumus, causam. Auctor incertus Consolationis ad Liviam fingit eam in morte Drusi querentem, quod filii tantum cadaver matri licuerit amplecti, neque id diu, quum cadaver ipsum rogo esset brevi comburendum. Versu 134. questus suos Livia profert hisce verbis:

Hic pietatis honos! artus amplector inanes;
Et vocat hos ipsos flamma rogusque suus.

Ita exhibuerunt Bersmannus in postrema editione, aliique ante eum; & ea videtur vera lectio, in qua nihil difficultatis inest, nec tenebrarum. Postea, errore, ut statueret licet, typographico, coepit edi *vorat*, quo loco ante legebatur *vocat*. Et sic sententia intricari & obscurari coepit, cui ut lucem foenerarentur Heinsius & Bur-

mannus

mannus *fuus* mutarunt in *finus*. Nunc igitur legitur:

Hic pietatis honos? artus amplector inanes.
Et vorat hos ipsos flamma rogusque finus.

Eaque ratione e pentametro aperto & facili factus est versus obscurus, quem non facile intelligas absque commentario prolixo. Et hoc artis est. Ea ratione procul arcetur vulgus profanum, & divæ Criticæ antistites habent quod agant, præsertim contra Gallos, si Burmanno similes esse volunt, nihil pensi habentis, nec suam ipsius famam curantis, dummodo Gallos, Gallulos, & forte etiam Gallicellos, aut Gallullulos, insectari liceat. Ita in Chevræum, hominem sane eruditissimum, invehitur pag. 603. „ Magno verborum ambitu, nihil tamen novi, „ & aliis indicti, afferens, ut comtulis Gallulis „ mos est; hanc veterum de frontis contracto „ spatio opinionem exposuit Chevræus in Miscell. &c. " Et in Dacierium pag. 605. „ Ita „ solet ille, qui nunc unicus Horatii interpres „ audit, & qui Doctissimos, quos omnibus paginis compilat, commentatorum labores è „ manibus tironum excutere conatus est. " Profecto id quidem non conatur Burmannus, diligenter cavens, ut auctores cum suis notis, uti vocat, editi etiam aliorum observata habeant juncta, ut tanto vendibilior merces summi Critici prostaret.

Pag.

Pag. 584. *Jubeor* (inquit Burmannus) *etsi non dicimus, jussus, est tamen participium usurpativum.* Discite hinc, studiosi elegantioris Critices, vitia apud auctores latere ubicunque *jubeor* legitur. vitiosus est igitur Ovidius, Metam. Lib. XIII. vs. 953.

Pectora fluminibus jubeor supponere centum.

Vitiosus Fastor. Lib. VI. vs. 651.

Et jam Quinquatrus jubeor narrare minores.

Vitiosus Horatius Lib. I. Epist. 13. vs. 7. *Perferre juberis Clitellas.* Vitiosi plerique auctores, quos omnes, suademus, emendetis.

Pag. 588. Per occasionem emendat Burmannus locum Manilii, Lib. II. vs. 600.

Idcirco nihil ex semet Natura creavit
Pectore amicitiæ majus nec rarius unquam.

Ubi *Pectus* ponitur pro animo forti, sive animo magno, ut apud Horatium Epod. I. *Forti sequemur pectore.* apud Virgil. Æneid. Lib. XII. vs. 525. *Nescia vinci pectora.* & apud alios passim. Huetius explicabat per *Pectore amico*, & exempla addebat similium locutionum. Nihilo tamen minus Burmannus mutat *Pignore amicitiæ*, quod minus convenit forti animo Pyladis, atque Orestis, quorum exemplum apud Manilium sequitur.

tur. Legite itaque *Pignore amicitiæ*, si vultis perhiberi Critici e secta Burmanniana.

Pag. 603. Frugis bonæ plenum est, quod vir summus, formarum spectator elegantissimus, adnotavit de oculorum claritate, adductis etiam tot scriptorum testimoniis in re tam gravi & ignota, ut vel Germanus videri posset, nisi ex auribus agnosceretur Batavus. Nota ista his finitur verbis: „Hinc nihil familiarius poëtis, quam sideri„bus comparare tales oculos, qui scintillas & „radios emittere videntur." Sic est sane:

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Ideo poëta quidam venæ Burmannianæ eleganter scripsit:

Sunt oculos video, qui lucida sidera tanquam.

In quo versiculo vocabula suo quæque loco posita sensum pene ita facilem, sed minorem stribliginem, efficiunt, atque illud ipsius Burmanni:

Nunc oleas pacis surgere signa jubet.

Pag. 608. *Ut putares inter auras canere Sirenum concordiam.* Variæ hæc legunt & explicant commentatores. Celeberrimus Burmannus dedit lectionem, quam exhibemus, & *inter auras* explicat: „Leni spirante aura, quæ vice Musicorum „instrumentorum modulationem Sirenum ad-

„juvat.

„ juvat. Ita *inter somnum*, *inter noctem*, *inter* „ *cœnam*, & similia passim occurrunt." In quibus tamen omnibus exprimitur spatium temporis, aut loci, ut Grammatici loquuntur, quod *inter auras* nullum est Quare *intus aures*, quod Sambuci est, & Codd. præferremus, si per Burmannum liceret, qui dicit id obscurius sibi videri quam *inter aures*, quod fatetur se non intelligere. Scilicet *intus aures* est, quod nos vernacule dicimus *Within thè ears*, sive in ipsis auribus. Totaque formnla ita apte circumscribitur: *Ut viderere in ipsis auribus audire symphoniam Sirenum suavissimum*. Plane, ut Horatius in Odis fingit, sed audire Calliopen; quare ita amicos alloquitur:

Auditis? an me ludit amabilis
Insania? audire & videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos & aquæ subeunt & auræ.

Horatius enim videbatur sibi *intus aures* audire vocem Calliopes, ut Polyænos Petronianus audiens Circes vocem, videtur sibi *intus aures* audire cantum Sirenum Nec *intus aures* alia ratione dicitur, quam *intus domum*, apud Plaut in Milit. II, 6, 55. Nisi hanc explicationem premeret viri summi auctoritas, videretur illa præferenda aliis omnibus.

Pag. 613. *Excæco formam a vitio aliquo*. Præpositio *a* sine dubio est dicenda abundare, quod

&

& post alios observavit Burmannus, nec admodum rarum est. Sed quum subdat: „Nisi *ab* positum „ sit pro *ob propter*. Ovid. III. Metam. vs. 571.

„ *Spumeus & fervens, & ab objice saevior ibat;*"

nasutioribus se ridendum praebet. *Ab objice* enim ibi significat, postquam objex retardaverat torrentem. *Sumere animos a ferro, a balneo frigore laedi*, & alia quaedam non dissimili ratione dicuntur.

Pag. 622. *Dicto citius nervi paruerunt imperio, manusque aniculae ingenti motu repleverunt.* Primus de ista lectione dubitavisse videtur Gonsalius, qui correxit *ingenti tumore.* Sagacissimus Burmannus reposuit veterem lectionem *ingenti motu.* Nos sane, si & nos poëtas dicerent pastores, corrigeremus *ingenti mole*, quod neque viris displiceret, neque mulieribus, putamus; praesertim, quia de Virgilio sumtum videretur, quem delectatum formula ista *ingenti mole* putabit, quisquis eam aliquoties in ejus Opere occurrere recordabitur, & mole crescenti manum *repleri* proprie posse dici. Nihil tamen a Burmanno recedimus. Artifici est credendum in arte sua. Audite igitur ipsum de *motu* in re Venerea eruditissime differentem: „ Nescio „ cur *motus* in hac re displiceat, cum in opere „ Venereo saepe celebretur. Ovid. Lib. II. „ Amor. 10.

„*Et mihi contingat Veneris languescere motu.*

„ Infra Cap. 120. *Puellæ artificium pari motu*
„ *remunerabat*. Vide supra ad C. XX. Ita & *mo-*
„ *veri* Plaut. Asin. Act. IV. sc. 1. *Equidem illam*
„ *moveri gestio*. Lucret. IV. vs. 1269.

„ *Idque sua causa consuerunt scorta moveri.*

„ Nisi quis malit hic *ingentem motum* explicare
„ incrementum & extensionem membri viri-
„ lis". Recte sane omnia. Nisi quod experien-
tissimus vir duplicem hic motum confundat, quem tamen novit longe distare & diversum esse. Etenim alius est, secundum philosophos tam Veteres quam Recentiores tantum non omnes, motus puellæ nates præ nimia delectatione moventis, & eadem ratione voluptatem viro adferre majorem præoptantis; qualis describitur Quinctia illa in Carmine libero:

Deliciæ populi magno notissima Circo
Quinctia vibratas apta movere nates.

Alius & motus maretricum detrectantium inter opus operæ pretium facere, quales describuntur a Lucretio, cujus locum integrum e lib. V. adscribemus, quem indicavit Burmannus, ut tanto pateat clarius, quo ablegentur studiosi:

Nec

Nec molles opus sunt motus uxoribus hilum.
Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat,
Clunibus ipsa viri Venerem si læta retractet,
Atque exossato ciet omni pectore fluctus.
Ejicit enim sulci recta regione, viaque
Vomerem, atque locis avertit seminis ictum.
Idque sua causa consuerunt scorta moveri,
Ne complerentur crebro, gravidæque jacerent;
Et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset:
Conjugibus quod nihil nostris opus esse videtur.

Pag.622. Proselenos ait: *Vides, Chrysis mea, vides, quod aliis leporem excitavi.* Ad quæ verba, alioqui satis nota, sic scripsit elegantissime doctus Burmannus: „ Valde suspectum est istud *quod*, nec „ sapit locutionem Romanam: deinde cum libri „ scripti *aliis* habent, non *alis*, sic opinor re„ fingendum: *Vides, inquit, Chrysis mea, vides?* „ *aliis leporem excitavi.* Rectè sane *aliis*. Nam „ in gratiam Circæ placandæ hoc totum nego„ tium peragebatur, cujus quidem labore fru„ ctus ad ipsam aniculam minime erat perven„ turus ". *Quod*, pro Græcorum ὅτι positum, videtur contra vel maxime sapere locutionem Romanam, pædagogis & Grammaticis explicare quam emendare, seu commaculare scriptores, paratioribus, Manutio, Vossio, Gronovio, Vorstio, aliis, qui tot testimonia e Cicerone, Cæsare, Livio, aliis probatis auctoribus protulerunt, ut plane ignorare Linguæ Latinæ purita-

tem dicendi ſunt, qui dubitant. Videte, ne omnes numerandi ſint; Manut. ad hæc Ciceronis: *Memini, quod mihi deſipere videbare* Lib. VII. ad Fam. Ep. 28. Et Voſſium de Conſtr. C. XX. ac Perizon. ad Sanct. pag. 501. In voce *aliis* aut *aliis* mendum eſſe vero non eſt abſimile; nam *aliis*, quod mavult vir ſummus, nauci non eſt, nec melioris notæ quam *alis*. Proſelenon utique non ſibi, ſed alii manum admoviſſe nervis, non erat quod illa moneret Chryſida. Ergo *aliis* nec vim habet, nec ullum ſenſum gratum. Si liceret per Burmannum, nam Codd. facile ſinunt imperito vulgo ſua auctoritate imponi, legeremus *manu leporem excitavi*, quod certe planum eſſet & ſenſu notiſſimo diceretur. Proſelenos gloriatur hic ſe manu præſtitiſſe, quod mulieres potæ interdum cantu tremulo, aut allaborante ore feciſſe leguntur, & propterea manus ſuæ inſolitam vim Chyſidi venditat.

Ibid. *Ludebat aquis errantibus, amnis Spumeus*. *Errare* ſane, ut hoc loco; a poëtis adhibetur de hominibus, pecore, avibus, incerto curſu huc atque illuc vagantibus. Qui vero ita faciunt, non aliquo tendere dicendi ſunt proprie, ſed in otio *ludere*. Propterea que amnis incerto itinere decurrens hic dicitur *Ludere aquis errantibus*. Infinitis tamen partibus melius Burmannus ad hunc locum: „ Eleganter dicit, amnem *ludere*, „ id eſt, more ſaltantium non recto curſu ten„ dere, ſed in gyros verſo: vel etiam undis „ tremulo motu ſubſultantibus." Nova iſta ſunt & nunquam alias audita!

Pag.

Pag. 624. *Premebat illa resoluta marmoreis cervicibus aureum torum.* Non putandus est Burmannus serio agere ad hunc locum ita scribens: „ Nescio, an non sit *resoluta*, hilaritatem & Ve- „ neris æstum facie sua præferens. " Scis enim, Burmanne, scis *puellas resolutas* dici, udas, non siccas; & memoria tenes, Ovidium tuum dicere:

Odi concubitus, qui non utrumque resolvunt.

Puella resoluta erat Sappho, cum *sicca* non licebat esse.

Pag. 632. *Ipse pater veri doctus Epicurus in arte Jussit, & hanc vitam dixit habere deos.* ô Eruditum primi ordinis eruditorum virum! Sic inquit Burmannus: „ Non capio, qua ratione *horti docti* „ possint dici, ut voluisse videtur Menagius, qui „ ad Laërtium Lib. I. segm. 17. citat:

„ *Ipse pater veri doctis Epicurus in hortis.*

„ Mihi adhuc aqua hæret." Epicurus doctus jussit, ut indulgeremus voluptati, & dixit deos vitam in voluptate agere. Quid planius? quid clarius? Dixit vero poëta *doctos hortos Epicuri*, pro *hortos Epicuri docti*, quomodo singulis pene paginis poëtæ solent epitheta commutare, alterique dare quod est alterius. Vel sexcenta exempla unus Horatius suppeditabit. Unum vide exempli causa ex lib. IV. Od. 12. *Quod male barbaras Regum est ulta libidines.* Id positum est

pro *libidine regis barbari.* Porro observatione dignum est, quod Burmannus, cum pagina 632. imprimeretur emendationem istam Menagii putasset, sequenti tamen pagina 633. (sed quam habet folium aliud) aliunde edoctus vidit Gassendi esse.

Pag. 635. Occasione vocis *Vestifluus* (quis credat!) carpit Burmannus Clericum, quod non novisse se dixerit, quid sit *ducere tunicas*, quum *ducere lanam* etiam Lexica quid significet doceant. Scilicet Auctor Elegiæ in Obit. Mæcenatis vs. 77. hæc habet:

Lydia te tunicas jussit lasciva fluentes
Inter lanificas ducere sæpe suas.

Distichon id citatur hic Burmanno, qui simul hæc verba adscribere nullus dubitavit:"Ubi Philosophus „ in elumbi & inepta paraphrasi sua ostendit, se „ non novisse quid sit *ducere tunicas*, quod est „ nere & texere, ut vulgo *lanam ducere* dixisse ve„ teres etiam Lexica potuissent eum docere". Disce, dum tempus est, gnava juventus, *ducere tunicas* significare nere & texere, quia ista phrasis occurrit apud poëtam ineptum, de quo mala multa narravit ipse Burmannus in Diariorum Scriptore Mendace, ut indicat Fabritius in Bibliotheca Latin. Alius scriptor sanus nemo *ducere tunicas* apte posse dici pro nere & texere adfirmaverit. Ibidem *tuis Hypæpis*, quia melius sit quam *piis*, ne dubitate.

Pag.

Pag. 643. *Faba ad usum reposita.* „ *Usus* (in-
„ quit Burmannus) notare potest medicinam,
„ quam languidæ & funeratæ parti facere consue-
„ verat. Certe Serenus Sammon. Cap. XXXVII.
„ ad tumores testium fabam commendat ". Ista
vocis *usus* significatione Lexica augmentabit, quisquis posthac iis recensendis manum admoverit.

Pag. 646. *Fumoso suspensa tigillo.* Dignam Burmanno disputationem περὶ καπνοῦ adscriptam istis verbis videtis: Ille enim nimis quam docte inquirit, num veteres habuerint in ædibus caminos, quales nos habemus, quibus fumus per tubulos foras evolat. Concludit autem his verbis: „ *Et certe obscura hujus rei ratio est* „. Aliis nempe eruditis contendentibus vaporaria, sive tubulos, fuisse, per quæ fumus subvolans absque foco absidentium incommodo ejiciebatur foras, aliis contra negantibus. Si quis putet omnium veterum eandem fuisse rationem, aut in ea re omnium populorum & omnis ætatis eandem consuetudinem, is sane habebit, quod Burmannice atque athletice poterit in partem utramvis multum, diu, & acriter, tueri. Qui vero temporum variorum variarumque gentium rationem habere conducibilius putabit, is merito censebitur doctior æque ac prudentior. Italis sane, regionem temperatam incolentibus, non opus erat ejusmodi caminis, nec etiam focis, in conclavibus singulis, si modo culina esset ita constructa, ut ibi ignis apte accendi posset, & fumus

 foras

foras emitti; quod interdum per tubulos, quales nos *Chimneys* vocamus, in domibus præsertim lautioribus factum, negari a rerum Romanarum peritis non poteſt. Græcos vero minime caminis, ſimilibus noſtratum, caruiſſe docet clariſſimus Ariſtophanis locus in Veſpis vs. 143. ubi καπνη vocatur, & a Scholiaſte καπνοδόχη, quam vocem idem Scholiaſtes explicat: Ἔστι σωληνοειδὲς ἐπὶ τῶν μαγειρείων, δι᾽ οὗ ὁ καπνὸς ἔξεισιν. *Eſt tubuli genus in culinis, per quem fumus egreditur.*

Pag. 660. Notæ Heinſii ad verba, *Commendare liberos ſuos ejus prudentiæ*, adſcriptus eſt locus Claudiani, tanquam a Cupero adſcriptus. Dicat Burmannus, ſolus enim poteſt, qua ratione Cuperi ſcripta ad Heinſium pervenerint. Ibidem ad voces *Relinquere ſe* legetis: Τὸ ſe *delet ibidem Stewechius.* Illud *Ibidem* vero reſpicit Arnobii locum lineis plusquam quinquaginta ante citatum, multis interpoſitis aliis.

Pag. 675. *Dicta, ſales, luſus, ſermonis gratia, riſus,*
Vincunt naturæ candidioris opus.

Sumta ſunt hæc e Fragmento quodam, & ſapiunt ætatem nequaquam auream. Totius Fragmenti ſententia eo redit; quod forma in puella bella non eſt ſatis, ſed quod quædam a natura favente data, ut dicta, ſales &c. debent accedere, ut illa merito placere poſſit. Scilicet: *Non eſt forma ſatis &c. ſed dicta, ſales, luſus, gratia ſermonis, & riſus,*

risus, *opus naturæ candidioris*, vincunt. Nihil obscurum est sensu plano & obvio, quem etiam pueri possunt capere. Utrum Burmannus ceperit, patet ex additis ab eo eidem Fragmento verbis:
„ Quid, quæso, est *candidior natura*. An vult *dicta*
„ &c. vincere candorem & formam corporis,
„ ut magis placeat puella non insulsa, sed face-
„ ta, quam in cujus corpore, etsi Pario marmore
„ sit candidius, sit nulla salis mica. Præferrem
„ tamen *naturæ languidioris*, ut languidius sit opus
„ naturæ, forma scilicet, dictis & salibus ".

SPECIMEN LATINITATIS NOVAE, ROMANIS INCOGNITÆ, e Notis PETRI BURMANNI AD PETRONIUM.

QUam egregia præstiterit vir summus Petrus Burmannus in Petronio illustrando, ob quæ præsens & futura ætas semper fatebitur sese viro obligatam & devinctam, vidimus in *Chrestomathia Petronio-Burmanniana*. At vero, quum Critici egregii Latinus, quo utitur, sermo etiam de ipsa ætate aurea sit sumtus, ut debet, quoniam vir ex suo sermone noscitur, facturos nos operæ pretium putavimus, si voces novas, aut novæ significationis, aut formæ inusitatæ, quibus ille Latinam linguam ditavit, e Notis Petronianis excerperemus, & cum studiosa juventute communicaremus, ut & in ea studiorum parte haberet, quod imitaretur.

I. Præsentia quæ censentur, Romani per tempus præsens efferebant. Burmannus vero per imperf. subjunctivi, ut: *Crederem* pro credo, 25, b. *Legerem* pro lego, 64. a. 121. b. *Non sollicitarem*

citarem pro non sollicito, 114. a. *Intelligerem* pro intelligo, 169. b. *Mallem* pro malo, 210. b. *Mutarem* & *caperem* pro muto & capio, 219. a. Et multis aliis locis, quæ huc non transcribimus.

II. *Ministerium* adhibuit pro mensa, in qua argentea pocula & vasa erant exposita, pag. 74. b. Nove. Id tamen defendere conatur pag. 119. a. ablegatis studiosis ad notas Casauboni in Lamp. Alex. Sever. c. 34. qui ita habet: *Ministerii appellatione intelliguntur omnia argentea vasa sternendo triclinio necessaria.* Et ad notas Salmas. ad Capitolini Anton. c. 17. scribentis *ministerium* dici argentum mensale. Quibus adde Eundem Salmas. ad Lamprid. Sever. Cap. 41. *Ministerium* est (inquit) *quod vulgo vocamus* service. Un service d'argent. Verba Burmanni, pag. 74. b. hæc sunt: „ Quæ cum positæ essent in mensa, sive „ ministerio, in quo argentea pocula & vasa erant „ exposita.

III. *Obire ministerium comis*, pag. 98. a. Abhorret a veterum elegantia, qui *obire ministerium* sæpe dixerunt, *obire ministerium comis* nunquam. Cicero Pythagoram multas regiones barbarorum pedibus obiisse refert, nec alia ratio obeundi negotia potest reperiri. Nove igitur dictum: *Ceterum sæpe comis suis hoc ministerium obiisse apud veteres servos & ancillas docere possunt exempla.*

IV. *A Minerva se ductum pingi fecit*, pag. 106. a. Vix Latine dici posse, *fecit se pingi ductum a Minerva*, clamant omnes pædagogi. Tota ista formula Hebraismum redolet.

V.

V. *Levatio* apud Ciceronem & alios ponitur longe diversa significatione, quæ licet interdum varietur, nunquam tamen *levatio* legitur ea, qua Burmannus adhibuit significatione. *In extrema*, inquit, *parte porticus erat picta ejus* (Trimalchionis, quem mento levatum Mercurius in tribunal excelsum rapiebat) *levatio in tribunal*.

Pag. 107. a. Novitatis igitur laus & in hac voce debetur Burmanno.

VI. *Hic* & iste nunquam ab eodem viro erudito adhibentur, sicut veteres solebant. Exempli gratia: *Qui in hac colonia sumtuosissimum munus ediderat*, pro *in ista colonia*, pag. 109. b. *Cum periculum vocare potuerit totam hanc pompam*, pro *totam istam pompam*, pag. 304. a. *In quo hic rex pingitur*, pro *ibi rex pingitur*, pag. 123. a. Nova hæc sunt, & a Grammatico nullo ita usurpata, ante virum eruditissimum. Verum talia undique ex ejus scriptis colligere esset laboris infiniti.

VII. *Ova pavonum sibi principatum vindicant* dixit Burmannus pag. 131. b. Nove. Nec veteres risum continerent, si audirent non tantum homines sibi principatum vindicare interdum, sed etiam ova. Athenæi, quem vir magnus citat, interpres habet: *Epænetus & Heraclides ova pavonum omnibus præferunt*.

VIII. *Vasa*, *vasum*, *vasibus* contra Grammaticos & scriptores non barbaros omnes *vasibus*, dixit Burmannus, cum scripsit: *De aliis vasibus & ferculis idem verbum usurpari*, pag. 141. b. Si Lexicon aliquod, Gorallianæ eruditionis instru-

mentum,

mentum, inſpexiſſet, diſcere potuiſſet, *vaſa*, *vaſorum*, *vaſis* dicere ſolere quibus barbaris eſſe non libet.

IX. Vitioſum ſcribendi genus & ferulâ digna ignorantia cenſetuu quorumdam jungentium genitivo pronomina adjectiva, quæ ratio & cauſæ linguæ Latinæ genitivo jungi prohibent. Cum his facit Burmannus, ſcribens: *Neque corona illa, quam ejus ſtatuæ detraxit Munacius, alia fuit atque illa Juliæ*, pag. 151. b. pro *atque corona Juliæ*, ſiquidem iſta loquendi forma omnino ſit ſervanda ac retinenda. Sic: *In noſtra Trimalchionis*, pro *in capide Trimalchionis*. pag. 254. a *Has aulas eſſe caveas, quibus in navi includuntur, non illas in amphitheatro*; pro *caveas in amphitheatro*, pag. 555. a.

X. *Facere contra rationem* ne Cicero quidem ipſe, niſi forte linguæ Belgicæ probe gnarus, quid ſit intelligat. Videte, cives noſtri, num & vos intelligatis hæc Burmanni: *Ut forte ſtultus noſter Trimalchio contra rationem fecerit, quod ille &c.* pag. 162. b. Videntur hæc velle Trimalchionem inique cenſuiſſe Atticum mel certa ratione emendari poſſe: utrum autem revera id ſignificent, pro certo adfirmare non licet non intelligentibus.

XI. *Proſcribere auctiones*. Id eſt, *Auctiones venales proponere*: nam id ſonant verba, quamvis nemo ſapiens ita ſoleat loqui. *Proſcribere domum, ædes*, &c. qui dicit, Latine loquitur; neque qui *facere auctionem* dicit, dicendus eſt decedere

cedere a veterum norma. Burmanno autem, quum scribat: *Vide quam non plebejum fuerit tales auctiones proscribere*, pag. 169. b. novitatis laus debetur.

XII. Sunt quidam viri non plane rudes sermonis Romani, præsertim in Belgio, qui tamen futuris temporibus verborum in tertia persona plur. ut *fuerint*, ita quoque *erint* solent jungere pro *erunt*. In eorum libris legetis *docti erint*, *servati erint*, & multa ejusdem commatis alia. Sequitur eorum barbariem celeberrimus Burmannus, scribens: *Nimirum, cum objecti erint bestiis his feris*, pag. 173. b.

XIII. *Rationes solidatæ* soli Burmanno inter Latine scribentes notæ sunt: *Unde docemur hunc Chrysanthum ita solidatis & subductis rationibus esse mortuum*, pag. 195. a. Illud *solidatis* e mercatorum libris Italorum idioma in plerisque exhibentibus sumtum est. Ibi enim reperietis *saldare una ragione*, unde suum *solidare* transtulit vir acutissimus, quem Asconius ad lib. I. in Verrem, C. 34. nihil juvat. Nolumus autem in eo argutari, quod *subductæ rationes* postponantur *rationibus solidatis* ordine plane perverso.

XIV. *Ante oculos habere* sensu plane alieno adhibuit novæ Latinitatis faber ingeniosissimus, pro *respicere*, aut *designare aliquem* in scriptis. Exemplo, quid velimus, patebit: *Recte Schefferus, sed videtur Marcilium ante oculos habuisse, qui exponit* &c. pag. 198. b. Scilicet Schefferus neminem nominans exponit proverbiale dictum, *contra*

tra quam ante cum id *exposuerant viri eruditi.*

XV. *Ad se facere* pro ad se pertrahere, novum est. Burmannus eo utitur: *Ædiles omnia arrodunt, tanquam mures, qui si frequentes sint, sterilitatem agrorum efficiunt, ita ædiles nunc omnia ad se faciunt, &, si quid superest, colludendo cum pistoribus annonam idcendunt.* pag. 214. b.

XVI. *Propiciatus* nove dicitur contra Orthographiam Romanam: *Deæ Volupiæ, quod propiciata angores & animorum sollicitudines depelleret*, pag. 217. a omnes enim alii *propitiatus* scribunt per literam *t* in voce media.

XVII. *Pecuniosus* dicitur homo pecunia abundans analogice & usitate, ut alia adjectiva in *osus* desinentia, *tenebrosus*, *lucrosus*, &c. At vero celeberrimus Burmannus *pecuniosus* posuit pro *lucrosus*, sive eo quod multum pecuniæ adfert: *Uno ordine juris studium habet, & artificia illa, vilia quidem, sed pecuniosa.* pag. 232. b. Nove sine dubio, *artificium pecuniosum*. De ipsa voce *artificium* pro arte, & de *bovibus*, quod ibidem pro *bobus* ponitur, contra Grammaticorum canones, gratiam facimus viro eruditissimo.

XVIII. *Inter*, nisi cum tempus aut rerum statum significat, usitate cum substantivo plurali ponitur *inter arma*, *inter cives*, *inter nos*, &c. Burmannus autem etiam cum substantivo singularis numeri posuit: *Fabula forte fuit inter vulgum, Sibyllam ibi servari in ampulla*, pag. 245. a. *Inter supellectilem argenteam scyphos fuisse*, &c. pag. 262. b. Utroque loco aliam vocem

pro

pro *inter* posuissent Goralli, & melius.

XIX. *Usitare*, vox plane barbara, & nec monachis cognita, adhibetur tamen a viro eruditissimo: *Vel Tiberii ævo, vel demum a Caligulæ imperio cœpit usitari*, pag. 252. b. Lexica e Gellio quidem adferunt, vocem absoletam *usitor*, unde *usitatus* occurrit alicubi; sed *usito* qui dixit ante Burmannum vixit nemo.

XX. *Perfectus* apud Ciceronem significat aliquid factum, aut ad finem perductum, atque ita perfectum, esse, ut observarunt Grammatici, & ex illis Johannes Ker nostras in Observationibus de Lingua Latina. Vitiose ergo loquuntur, qui, exempli gratia, *hominem perfectum* pro integro dicunt, vitiose Burmannus *sensum* non tantum *perfectum*, sed *perfectissimum* dixit, id est integerrimum, cui nihil ad sententiam absolvendam deest, τέλειον. *Nihil deesse puto, cum sensus sit perfectissimus*. pag. 257. a.

XXI. *Mox* & *modo* ita differre, ut *modo* dicatur de eo, quod paulo ante fuit, *mox* de eo, quod paulo post sequetur, norunt omnes, qui Latine norunt. Inde passim occurrunt *Modo dixi* & *mox dicam*. Burmannus tamen Grammaticorum præcepta & auctorum veterum consuetudinem eodem loco habens *mox* cum verbis temporis præteriti ponit: *Nisi, ut mox diximus, capiamus de diversis* &c. pag. 257. b. *Ut mox annotavimus*, pag. 265. a. *Ut mox ex Plinio vidimus*, pag. 276. a. *Ut mox vidimus*, pag. 647. a.

XXII. *Excrementosus* vocem monstrosam Lexica ignorant; Burmannus contra novit. *Excrementosa*, inquit, *caro anatina creditur*, pag. 275. b. Augeantur igitur Lexica nova ista & suaveolenti voce.

XXIII. *Degenerare venustatem antiquam* novum est, nec veteribus usitatum, quo tamen utitur prudentissimus Burmannus. *Pleraque degenerantia antiquam venustatem*, pro *ab antiqua venustate*, pag. 296. a. Novimus equidem, quæ exempla similis constructionis reperiantur in Lexicis, verum ea omnia corrupta esse dubium non est. apud Ovid. in Metamorph. *palmas* pertinet ad *oblitus*, quod sequitur. In Statio legitur *non deneger ambit*, quod in Lexicis est *non degenerabit*. Aliorum locorum non est diversa ratio.

XXXIV. *Caupona* pro copa, sive muliere, cauponam exercente, apud unum forte Lucilium, scriptorem cascum, & Burmannum, scriptorem novitium, reperitur: *Si caupona ista assem quæstu suo lucrata fuerat*, pag. 309. Virgilius *Copam*, Cicero & *Cupam* ea significatione dixit, *cauponam*, quæ est taberna cauponis, præter duos istos nemo. Proprie *cauponus* adjectivum apud Lucilium videtur, cujus femininum est *caupona*.

XXV. *Hic* plerumque δεικτικῶς adhiberi unum est Grammaticorum præceptum. Burmannus tamen *hic* pro *ille* usurpat non raro, ut: *Nulla mihi, sine hujus impostoris nota, pagina conscribi posset* pro *illius impostoris*; scilicet Galli erudito orbi Petronium integrum obtrudere cupientis, pag. 316. b.

N XXVI.

XXVI. *Epotare viscera & sanguinem* locutio est catachrestica, quam vir eruditissimus sane quam eleganter adhibuit: *Striges involare cunas, & infantum viscera & sanguinem epotare credi narrat*, pag. 318. b. Ut percipiatis locutionis istius elegantiam, cogitate modo, quid sit *potare* & *epotare*; atque deinde, quid *sint viscera infantum*, & qua ratione ea possint dici *epotari*.

XXVII. *Notus nimis satis, quam ut* &c. Pleonasmus est, qualem veteres numquam adhibuerunt. *Notus nimis satis ille mos est, quam ut a me illustrari debeat*, pag. 327. a. Alii, scriptores veteres secuti, dicerent: *Notior est iste mos, quam ut* &c. *Nimis notus, satis notus* dici eleganter nemo inficiabitur; sed in iis comparativi significatio, quæ *quam ut* debet præcedere, nulla est.

XXVIII. *Extra communem modum* positum est a Burmanno pro immodico, sive quod modum excedit. *Omnia in Trimalchionis supellectile ponderosa & extra communem modum sunt*, pag. 335. b. qua formula cum significare voluerit omnia fuisse ibi nimis ponderosa & magna, nova ista locutione *extra modum communem esse* Lexica sunt augenda, in quibus *communis* ea significatione non reperitur, nisi forte in Gallicis, quod Galli *Commun* fere ita adhibeant.

XXIX. Non est eruditorum Criticorum semper perspicuitati in dictione studere. Id faciunt de plebe eruditi. Illi vero interdum imitantur Oracula, ambigua dictione quærentes non raro

fatigare

fatigare solita. Notum illud est *Ajo te, Æacida, Romanos vincere posse*, quod sensus duos plane contrarios admittit. Divinam istam elegantiam imitatur, & feliciter exprimit oraculum Leidense: *Sequentia firmant, muliones & circulatores, quibus sæpe adstitit, illum imitari posse*, pag. 304. a. Utrum *muliones posse imitari illum*, an vero *illum posse imitari muliones*, intelligendum est?

XXX. *Reddere causam locutionis*, pro consuetudinis alicujus in loquendo, nove dixit Burmannus: *Bulæus loca apta adfert, sed causam locutionis perperam reddit*, pag. 354. b. Aliis enim *locutio* est ipsa loquendi actio, ut *scriptio* & *lectio* ipsas scribendi & legendi actiones exprimunt.

XXXI. Aliam rationem obscurandi orationem præter modo adnotatam reperit & adhibuit quoque Burmannus. *Cum melius*, inquit, *de ornamentis sepulcrorum, quæ insculpebantur, & statuis similibus capienda videantur*. Illud *statuis similibus* utrum conjungendum sit, nec ne, non adeo planum est, ut cuivis inspicienti pateat, etiam post satis longum examen. Videtur tamen *ornamenta statuis similia* voluisse vir clarissimus, si quæ ornamenta statuis similia apte fingi, aut mente comprehendi possunt. Sunt enim ea quidem ornamenta non statuæ, sed statuis similia: ut si quis viri magni scripta non erudita, sed eruditis similia diceret.

XXXII. Quoties filum orationis requirit diversæ constructionis verba, toties nominativos repetendos esse, dicunt Grammatici, qui oratio-

 nis

nis elegantiæ ſtudent. Non autem Burmannus, cui in iſta re, ut in multis aliis, negligenter verſari volupe eſt. Exemplo ſit: *De Encolpio & ejus comite capiendum, quibus moleſta jamdudum fuerant jactabundi liberti putidiſſima verba, & exitum quærebant*, pag. 360. a. ubi conſequentia orationis poſtulat & *qui exitum quærebant*; nec *quibus* ſufficit, niſi uni Burmanno.

XXXIII. *Deſumere* inprimis eleganter poſitum eſt in hiſce verbis: *Non potuit ex Galli cantu malum omen deſumi*, pag. 364. b. Augenda igitur ſunt Lexica nova phraſi *deſumere omen ex aliqua re*, qua hucusque caruerunt.

XXXIV. Galli ſua lingua loquentes *uſurper* mala fide poſſidere dicunt, & *uſurpé* rem mala fide poſſeſſam, aut nullo jure tanquam ſuam adhibitam. Illos imitatur vir eruditiſſimus, quem unica hac vice in errorem Lexica potuerunt induxiſſe: *Non maledicendi licentiam uſurpatam, ſed illo mariti ſui facto jus conviciandi eſſe quæſitum*, pag. 366. b.

XXXV. *Æquare ſe cum aliis* nova eſt & Latinis auribus incognita ratio loquendi, quam tamen Burmanni auctoritas Latio invehere conatur: *Formula hæc ſe cum aliis æquandi uſitatiſſima in commune ſermone*, pag. 376. b. *aliis æquare ſe* poſſit forte peregrinitatis notam effugere, quamvis elegantiſſimi quique aliter loqui ſoleant; *æquare ſe cum aliis* plane non poteſt.

XXXVI. Similis pene ratio eſt in hac formula: *Trimalchionem non puto duxiſſe domini ſui viduam*

duam, *qui Fortunatæ suæ*, *paris cum eo conditionis*, *semper junctus fuit*, pag. 378. b. Si enim jam ponamus *paris cum eo* pro *ejusdem* poni, quod vix fieri solere videtur, dicendum tamen fuerat *paris secum conditionis*.

XXXVII. *Pusilli homines*, *pusilli mœchi*, & similia passim occurrunt. *Paulum pecuniæ* etiam non uno loco legitur. At *pusillàm pecuniam* nove dixit summus Burmannus: *Unde tam pusilla pecunia confecta sit*, pag. 380. b. Diceres hominem nihil nisi pusillum cogitare, adeo ubique sui similis est.

XXXVIII. *Proprietas facit me dissentire* quid significet, per conjecturam forsan adsequentur studiosi, legentes: *A Grævio*, *licet invitum*, *dissentire me facit proprietas*, *quæ major in* volutari *apparet quam in altero verbo*, pag. 393. b. Ita scribens Burmannus videtur voluisse dicere alterum illud verbum melius loco convenire, quod tamen vix ex istis verbis elicias.

XXXIX. *Non* post *nec* ponere Latini non solent. Scilicet: *Hoc epigramma*, *ut nec sequentia*, *huc non pertinere certus sum*, sermonis Latini peritus non diceret, quamvis ita scripserit Burmannus, pag. 407. b. *Tam hoc epigramma quam sequentia* magis probatur intelligenti.

XL. *Abire in membrum interius*, non alicujus ex Obscuris viris, sed clarissimi Professoris, primi ordinis eruditi, hæc phrasis est: *Proprie utitur* recedendi *voce*, *quæ notat in interius membrum & conclave abire*, pag. 417. b. pro abire in partem

tem domus interiorem. Sic solet Criticus summus alias atque alias vocibus quibusque significationes tribuere, quarum causas forte in patria ejus lingua si quis gnarus quæreret, facilius quam apud scriptores Latinos reperiret. Ejusmodi videtur etiam: *Illud genus columbarum in hac materia intelligitur*, pag. 418. b.

XLI. Quod alii dicunt *adversa valetudine esse*, aut *uti*, Burmannus dixit: *mala valetudine infestari. Quibus frui nequeunt, si valetudo mala eos infestet*, inquit, pag. 427. a. diceres ita scribere sustinentem a mala mente infestari. *Infestare vias* qui novit quid sit, videbit facile qua in re hic peccatum sit.

XLII. *Lectione veterum inundari* non est Ciceronis, nec Burmanni, Ciceronem imitantis; sed Burmanni Tertullianum sive imitantis, sive ridentis. Quemadmodum enim Afer hic dixit *Viros spiritu divino inundatos*, sic Batavus ille *Homines lectione veterum inundatos*, pag. 432. b.

XLIII. Cellarum tectum nec laqueatum, nec concameratum esse si reris, multum falleris. Audi Burmannum de humili cella loquentem; *Neque ulla mentio clavi, neque verosimile tam altam cellæ camaram fuisse*, pag. 453. b. Scribit vero *camaram*, non *cameram*, ut Græce scire intelligeretis. Quid autem *camera* significet, docebit Pitiscus, amicus Burmanni, ut eruditi plerique solent, summus, dum viveret, in Lexico Antiq. tiq.

XLIV. *Iniquirere in vitam alienam, in mores,* &

& ſimilia, reperietis apud quosvis probatæ Latinitatis auctores, *inquirere in domos alienas* mirum, ſi præter unum Burmannum alius quisquam dixerit unquam. *Diploma*, inquit, *quo ipſi a magiſtratu venia inquirendi in alienas domos datur*, pag. 471. b. pro *licentia perquirendi domos alienas.*

XLV. *Magiſter noſter* quis ſtylo Burmanniano ſit, neſcire nos fatemur. Alii videant, num poſſint intelligere: *Stigmata rudi manu a villico aliquo inſcripta, non tam nitide & eleganter fuiſſe expreſſa quam a noſtro magiſtro*, pag. 481. a. Locus videtur indigere manu medica; & flagitat manus criticas magiſtri noſtrandi, aut noſtri magiſtrandi.

XLVI. *Imprecari mortem diris* in hoc commate: *Devoti*, *qui diris & exſecrationibus mortem imprecabantur*, pag. 517. b. quid velit, etiam difficile eſt dictu, niſi forte ſubaudiatur *ſibi*, quod neceſſario adeſſe debuiſſet ad ſententiam abſolvendam.

XLVII. Aut Belgiſmum, aut Barbariſmum redolet: *In ſcapham quisque pro ſe inſilire tentabat*, pag. 528. a. *quisque pro ſe* ſane minus uſitatum eſt, quam *pro ſe quisque*, nec ſuo loco tamen iſta phraſis eſt poſita.

XLVIII. *Et certe, quæ primus intruſit mala manus debuiſſet indicare, unde ſumſerit*, pag. 525. a. Ite nunc, & dicite, ſolos Gorallos, aut Pædagogos, βαρβαρίζειν. *Manus mala, quæ primus!* ô Profeſſoriæ eruditionis documentum inſigne!

XLIX. Latinius non est: *Consumtio cadaveris puterefactione naturali, cui opus tempore*, pag. 536. a. pro *ad quam rem opus est tempore*. *Cui* enim est persona, ut Grammatici loquuntur; nec tamen eo loco pro persona est positum.

L. *Quanti libertas apud Quirites fuerit, & quam æquato jure olim viverent*, pag. 544. b. Videte num rectum sit *fuerit* & *viverent*. Inter vitia typographica non adnotatum legitur. Ergo habetur rectum & laudabile.

LI. Peregrini saporis quoque est: *Dicit Fortuna, se jam diu optasse, iterum Romanos bellis civilibus collidere*, pag. 572. b. Adscribite adversariis vestris, aut Lexicis, *Fortuna collisit Romanos bellis civilibus*, & adscribite τὸν πάνυ Auctorem tam elegantis formulæ.

LII. *Versatiles oculi* scriptoribus, qui *molas versatiles*, *ingenium versatile*, &c. noverunt, ignoti sunt, Burmanno vero noti: *Lascivi & petulantes juvenes & puellæ non tranquillos, sed versatiles & mobiles habent oculos*, pag. 598. a. Nolumus hoc loco argumentari. Corallus forte hoc modo argumentaretur:

Juvenes & puellæ, non tranquillos, sed versatiles & mobiles habentes oculos, sunt lascivi & petulantes

Omnes vero juvenes & puellæ, præter cæcos & dormientes, non tranquillos, sed versatiles & mobiles habent oculos.

Ergo: Omnes juvenes & puellæ, præter cæcos & dormientes, sunt lascivi & petulantes.

Et

Et ſane id verum eſt, omnium vigilantium oculos verſari ac moveri ſolere, non tantum juvenum & puellarum, ſed etiam ſenum edentulorum; nec id magis laſciviæ aut petulantiæ ſignum eſſe, quam eſt ſi quis nunc ad dextram oculos flectat, nunc ad ſiniſtram.

LIII. *Facere aliquid in gratiam alicujus* formula eſt ſcriptoribus ſeculi aurei cognitiſſima; *facere aliquid in gratiam alicujus placandi* illi non dicunt. Pleonaſmus iſte inſolitus & novus uſurpatur a Burmanno: *Nam in gratiam*, inquit, *Circæ placandæ hoc totum negotium peragebatur*, pag. 623. a.

LIV. *Infinita loca* pro innumeris Burmannus poſuit: *Quod infinita loca oſtendunt*, pag. 646. b. quod Lexicographi *poſterioris Latinitatis ſcriptorum eſſe* monent.

FINIS.

EDITOR L.

Quin alicubi, vitio typothetarum, an meo non dicam, ſphalmata quædam irrepſerint, nullus dubito & video, poſtquam ea nomine Auctoris ad me ſunt transmiſſa, ſatis magnam ſegetem colligendo & recenſendo poſſe fieri. Non libet tamen; nec id jam amplius eſt in poteſtate mea. Vis dicam? Solent quidam, dum aliquod opus ſuum typis deſcribitur, folia ad amicos mittere jam deſcripta, ut illi legant. Ex his ſi intelligant vitia quædam ineſſe, editoribus aut correctoribus ea transſcribere Auctores non dubitant, dictitantes illorum ſupina ignorantia & ſtupiditate multa, quæ recta ſcripta eſſent, corrupta, etiamſi ea ipſorum incogitantiæ, interdum etiam inſcitiæ, referenda ſint accepta; quo facto ſuæ culpæ alios ſupponunt reos. Ea videbatur eſſe ratio Auctoris hujus Chreſtomathiæ in transmittendo indice erratorum, ut & in eo dilecti ſibi Burmanni morem ſervaret. Ego autem, quod vererer, ne typographorum hujus urbis Societati, cui meam operam libenter addicere ſoleo, tanta & tam ingrata farrago eſſet diſplicitura, unde mihi verba eſſe parata intelligebam, indicem Vulcano tradidi. Vale, & recipe me, cum Burmanno & Auctore, viris minime aliorum gloriæ invidentibus, in partem amicitiæ.

Notificatie.

Werden by dezen, door d' Overlieden van 't Boekverkopers &c. Gilde, uyt ordre van Haar Edele Groot Achtbare Heeren, de Heeren Burgermeesteren dezer Stede, alle Gildebroederen gewaarschouwt om niet te verkopen nogte te distribueeren zeker Pasquil gedrukt onder den Titul van Chrestomathia Petronio-Burmanniana 8° Florentiae 1734,
en dat zullen hebben in acht te neemen diergelyke Pasquillen in het toekoomende nooit te drukken.

Yder wagte zig voor Schade.

Actum Amsterdam 20 Junii 1736.